




1548









215/A Alexandrinus

Offer 1. or 7.

A.XVIII.m

8 leaves
171 "
1 leaf

L. 4807

42

2

GALENI

ENANTIOMATON ALIQVOT LIBER,

Iulio Alexādrino medico, Tridentino Autore.

Eiuſdem, Galeni Encomium.

Indicem Enantiomaton, pagina Quinta reperies.



VENETIIS M D XLVIII

AMPLISSIMO CARDINALI ET ILLVSTRISSIMO, Tridenti, Brixinæq; Principi, Christophoro Madrutio,

IVLIVS ALEXANDRINVS MEdicus Tridentinus, S. D.




VLLA me res ad hanc diẽ solicitum magis habuit, illustrissime princeps, postquam tot iam cœpere è medio benignitatis tuæ sinu, in me fratremq; meum beneficia proficisci, q̃ ꝙ nihil quicquam reperiebam, quum diligenter tamen cuncta inuestigarem, quo, nõ dicam tantũ in nos beneficentiæ remunerarer, quod non possum, sed non ingrati saltem animi significationem aliquam exhiberem. Et alia quidẽ quæ ipsa nõ paruipendenda sunt, ꝙ extorres patria nos nostris, nostrosq; nobis restitueris, nullo cũ rei familiaris dispendio, contraq; cum compendio, ꝙ priuatim fratrem ĩ iudiciale iam summæ curiæ collegium ascitum, honore auxeris non pœnitendo. Hęc quanquam magna, quum maximi quoq; faciam, non tanti tamen facio, quãti ꝙ studia mea quę iam periclitabantur, musas meas iam profugas ad otia reuocaris securissima. Hoc vero tãtum ego esse deputo beneficij,

vt siquidem pondere id solum æstimem, degra uari me inde plane sentiã, sic porro degrauer, pene vt obruar. Etenim ex tam insigni in nos liberalitate tua illa, multum licet reportarimus emolumẽti, vere tamen dicam, plus tibi vni inde gloriæ atq; honoris partum. Nimirum hoc est principem vere agere, hoc erat patris patriæ patrisq; nostri munus, hæ partes quæ principes in primis viros extollunt, vt neglectæ premũt. At ex literario hoc otio eos iam percipio fructus, tantum præterea voluptatis, iucunditatis tantum capio, vt præ his, gloriam, honores, dignitates, Crœsi prope dixerim ipsi9 diuitias, nihili habendas esse ducam. Quod dij mihi faxint, tuq; a dijs alter, vt perpetuũ sit, inq; eo diutissime beneficio hoc tuo consenescam, multũ mihi atq; immensum quiddam per te lucratus videbor, efficiamq;, si nihil aliud, saltem huius vt aliqua semper apud te ratio constet. Nã quid aliud polliceri de nobis possimus nõ video, hoc quidem tempore. Nunquam tamen vsq; adeo desperare pergam, aut sic animum despondere, vt nõ me subinde erigam ad felicissimæ manus tuæ illustrissimæq; illius signum, quum præsertim viam mihi hac in re monstrent, quasiq; facẽ præferãt tot egregiæ corporis alioqui, animiq; præstantissimi dotes, quas antea quum suspiceremus tantum atq; admiraremur, nunc etiã veneramur & colimus. Veneramur dico: rectius dixerim Europa tota veneratur. Non enim te iã capit ciuitas hæc tua. Quotta enim hic apud

nos laudum tuarum pars, intra mœnia tua? ta-
metsi omnium certe maxima quotquot antea
fuere principū, (absit veritati hoc loco īuidia.)
Itaq; melius ista nouere exteræ gentes omnes
ac nationes, quanti te Cæsar faciat, quanti Pon
tifex Maximus, Reges omnes, Italia cuncta &
Germania. Neq; tamen ista nos quoq; non in-
telligimus, sed nescio quo pacto nominis tui
splendor, ac veluti fulgetrum quoddam hic or-
tum, oculorum nostrorum aciem perstrinxit,
apud cæteros illuxit luculentius. Hac certe fa-
mæ tuæ gloria clarissime ac latissime irradiāte,
vix Cæsarem adis, quum ab eo ad pontificem
mitteris, summis de reb9, eodem tempore prin-
cipum quoq; maximorum medius, & vt verissi
me dici de te potest, quod ille præclare de alio
cecinit, recti pacisq; sequester. Quorsum atti-
net hoc loco anni superioris legationem com-
memorare tam strennue, tam feliciter obitam?
quum te vno niti viderentur christianæ Reip.
res, prope iam lapsæ ac depositæ? Hoc vero
erat quod futurū diuinabamus iam tum antea,
quum tam aperta pręclaræ illius indolis tuæ ar
gumenta colligebamus tam anxie, quo nā eua-
sura essent, expectantes, liberalitatis dico, & ma
gnanimitatis, magnificentiæ simul, & munificē
tiæ, scilicet non diu nos torsit hæc expectatio,
quam profecto vicisti etiam maximā de te apud
omnes conceptam, vt iam spes sit, multo nos re
rum harum omniū vberiores fructus inspectu-
ros, ætatis tuæ autumno, (vt ita dicam) postq;

tam grandem videre contigit horum prouentū hoc ætatis. Verum rectius hæc mehercle æstimabit posteritas, eadem fortasse non ingrata. Nam nos ingrati certe sumus, qui hæc tam tenuiter, sine honoris maximi præfatione narremus. Hæc me tamen interea spes alit, atq; hactenus aluit, alatq; imposterum necesse est, qua futurum facile confido, vt obseruantiæ saltem in te nostræ vigilantiæq;, ac laboris opus aliquando appareat. Huiusce generis libellū nunc profero, Galeni Enantiomatωn, nō ille quidem vt iustum munus expleat, (quorsum enim numera ad talem tantumq; principem, præsertim tantilla, chartaceaq; à me?) sed qui tamen propensæ cuiusdam in dominum, principem, mecœnatemq; meum voluntatis signi aliquid ostendat. Quum enim, quod dicere inceperam, nihil mihi sese offerret, quo patria facere cum beneficijs tot possem, sed nec quicquam daretur quo æris alieni, in quo sumus, vel exiguum aliquod nomen expungerem gratiarū relatione, feci quod proximum erat, vt harū saltem habitione, quā argumentis his præ me fero, non ingratus existimarer. Vale.


RÆFARI pauca quędam oportet, ob candida ingenia, quorum minime certe omniũ offensionem incurrere velim in ipso statim laborum nostrorum limine. Ac primũ nolim quenquam rei, vt alicui videri possit, nouitate moueri, non enim primi nos pugnantia inter se authorum dicta componimus. Fecit ante nos id memoria nostra, quãquã diuerso in genere, M. Antoni9 Zimarrius philosophus clarissmus, fecit Galenus, q locis aliquot cõtraria quę videbanť Hippocratis dicta enodet, fecere alij, vt iã multorũ si libeat tueri nos exẽplo possimus. Plutarchus ipse author tantus ædidit aliquãdo libellũ, quẽ Stoicorũ inscripsit enantiomata, vnde titulum nos huic quoq; nostro mutuati sumus, in quo sectæ huiusce pugnare inter se docet, sententias receptissimas quasq;, idq; nullo interim quæsito cõciliandis his remedio. Quam nos certe camarinã non mouimus, quin pro virili semper quicqd inesse mali videbať persanarimus, aut si nõ hoc, quærendę saltẽ medicinæ præmonstrarimus viã, lociq; admonuerim9 tyrones, quod satis sit præsertim artis ipsius nondũ prorsus tyrocinia egressis. Porro` græca adscripsi Galeni, græci nimirum autoris verba, ob eos qui gręce sciunt, quibus melius fere` ista respondent (cõiecturam enim de me facio) latina, ob græcarũ li-

terarũ rudes: aliorũ reiecimus interpretationes nõ quidẽ oſtentãdi ingenij cauſa, ſed quũ harũ nõnullæ ad manus nõ eſſent, nõnullæ ſatis mihi nõ probarentur, malui ipſe interpretari, idq; nullis vertendi artis lenocinijs, fucis nullis, ac verbum tantum non verbo reddens, ſic craſſiuſcule, ne quis me hoc captandæ gloriolæ cauſa feciſſe exiſtimet. Tranſcribendi autẽ verba quę cunq; ad rem faciũt omnia, (quãquã hoc quoq; modice, niſi fallor, fecerimus) veterũ ſecuti morem ſumus potius q̃ recentiorũ quorundã, qui nihil aliud q̃ loci admonent, citatis ſubinde capitibus. Nos librorũ ordine cõtenti fuimus, capitũ quæ nulla ſunt nõ meminimus, verba adſcripſimus, quæ quũ quis præ oculis habeat, nihil aliud quęrat ad rem pręſentẽ, qua de agitur. Cæterũ libello huic quandã ceu coronidẽ addidimus Galeni Encomiũ, quod olim Luſeram⁹ excitãdis medicinæ cãdidatis ad acri⁹ auidiusq; capeſcẽdã eam, ſimul illud mihi hoc additamẽto quæſitũ, vt ſi qua ex dictis noſtris autoris talis tãtiq; adſperſa exiſtimationi labecula fuerit, qđ fieri humano more, noſtraq; fortaſſis culpa potuit & incuria, hac quaſi palinodia quadã deleat. Quæ oĩa quũ, cãdide lector legeris, rogatũ te volumus, vt linguã tãtiſper à reprehenſione abſtineas, (nã laudes nihil moror) dũ ſingula recte perpenderis atq; examinaris. Quod ſi impetro, futurũ facile ſpero, vt quã concinnãdis his, nõ quidẽ nullo prorſus cũ labore impẽdimus, non omnino operam luſiſſe videamur. Vale.

INDEX ENANTIOMATVM quæ hoc in opere continentur, iuxta ordinem ab ipſo authore preſcriptum.

GALENI ENANTIOMATON aliquot Liber, Iulio Alexandrino Tridentino Autore.

Legendis Galeni libris non tam spectādum quid rei ipsius ordo ferat, q̃ꝫ quid legen di interdum, intelligendiq́ꝫ cōmoditas: qua ratione pugnantia, quę videntur sibi inuicē, dicta quędā soluantur,

Enantioma I.



SVB FINEM ARTIS medicæ Galenus, dum magnam commentariorum suorum partem in ordinē digereret, librosq́ꝫ maxime ad Therapeuticen necessarios adnotaret, ita scribit: Τά τε περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ἐστὶν, ὧν ἔμπροσθεν ἐμνημόνευσα, καὶ τὸ περὶ συνθέσεως φαρμάκων, οἷς τὰ τῆς θεραπευτικῆς ἕπεται μεθόδου. hoc est, Sunt & de simplicium medicamentorum facultatibus libri, quorum antea feci mentionem, & de compositione medicamentorum, quos Therapeutices methodi libri sequuntur. Item in libello de librorum suorū ordine: τοῖς δὲ περὶ τῶν καθ' ἱπποκράτους στοιχείων ἕπεται τὰ περὶ κράσεων ὑπομνήματα τρία, καὶ τούτοις ἡ περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως πραγματεία, κἀκείνῃ πάλιν ἡ περὶ συν-

θέσεως φαρμάκων. i. Porro commentarios de elementis secundum Hippocratem sequũtur tres de temperamentis, hosq́ de simplicium medicamentorum facultate opus, cui deinceps de cõpositione medicamentorum succedit opus. Vtrobiq́ hic quum statim à libris de simpliciũ medicamentorum facultatibus locentur de cõpositione medicamentorum libri, & in locorũ altero post hos therapeutice reponatur, eiusdẽ tamen therapeutices lib. iii. mediam eam inter de simplicium medicamentorum facultate libros, & de medicamẽtorum compositione inseruit his uerbis: ἔστι δὲ καὶ τοῦτο ἤδη τῆς περὶ φαρμάκων συνθέσεως πραγματείας ἑπομένης τῇ θεραπευτικῇ μεθόδῳ. τὸ μὲν γὰρ τὰς δυνάμεις τῶν φαρμάκων γνῶναι προηγεῖται τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου, καὶ λέλεκται περὶ αὐτῶν ἑτέρωθι. τὸ δὲ συνθεῖναι τὰ φάρμακα μετὰ τὴν θεραπευτικὴν ἐστὶ μέθοδον. ὅταν γὰρ αὕτη μὲν διδάξῃ τὰ καθόλου, λέγω δὲ τὸ ξηραίνειν, ἢ ὑγραίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ θερμαίνειν: καὶ ἤτοι μετρίως τοῦτο δρᾶν, ἢ σφοδρῶς, ἢ ἀμυδρῶς: εἴδωμεν δὲ καὶ τὴν τῶν ἁπλῶν φαρμάκων ἑκάστου δύναμιν, ἰδίᾳ καθ᾽ ἑαυτὴν ἐπεσκεμμένοι, τηνικαῦτα πῶς ἄν τις ταῦτα μίξειεν ἐπιτηδείως τῇ χρείᾳ προσήκει σκέπτεσθαι. γίνεται γοῦν οὕτως διττή τις ἡ περὶ τῶν φαρμάκων μέθοδος, ἑτέρα μὲν ἡ τῆς δυνάμεως αὐτῶν, ἑτέρα δὲ ἡ τῆς συνθέσεώς τε καὶ σκευασίας. i. Porro hoc iam ad opus: de medicamentorum compositione pertinet, quod methodum sequitur therapeuticen. Etenim medicamentorum facultatis notitia therapeuticen

methodum anteit, de quibus diſputatum alibi a` nobis eſt: at componendorum medicamentorum cognitio methodum ſequitur therapeuticen. Nam quum in uniuerſum ex ea didicerimus, quæ nam ſiccanda, aut humectanda, aut refrigeranda, aut calfacienda ſint: tum modice ne id, an uehementer, an leniter potius faciendum: ſimul etiam ſimplicium medicamentorũ vniuſcuiuſq; vires nouerimus, p ſe, ſeparatimq; conſideratas: tum quo nam quis iſta modo apte ad vſum commiſceat, perpendere expediet. Sic certe fit, vt duplicata hoc pacto medicamentorum methodus ſit, altera quæ de eorum virib9, altera quæ de compoſitione pertractet, & præparatione. Hoc loco non ſolũ libros de compoſitione medicamentorum ordine therapeuticis poſteriores eſſe, ſed etiam cur ita ſit, docet. In eandem ſententiam tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos libro dum Heræ ad aures pharmaca recenſet, ſcripſit his verbis: νυνὶ δὲ τῶν ἐν ταῖς ὠταλγίαις μνημονεύσω μόνον, ὑστάτης ἁπασῶν τῆς πραγματείας οὔσης ταύτης, ὡς πολλάκις εἴρηται, κατὰ τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου βιβλία. τὰς γὰρ μεθόδους τῆς θεραπείας ἐν ἐκείνῃ γράφων, ἓν ἢ δύο που παραδείγματα τῶν κατὰ μέρος προσέθηκα, τὸ πλῆθος τῶν φαρμάκων ὅσα συντίθεμαι ἐκ πολλῶν εἰς τὴν ἐνεστῶσαν ἀναβαλλόμενος πραγματείαν, ὡς ἡγεῖσθαι μὲν τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου τὰ περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ἕνδεκα τὸν ἀριθμὸν ὄντα: μετὰ ταῦτα δὲ τὰ τῆς θεραπευτικῆς μηθόδου τεσσ

σαρεσκαίδεκα, μεθ' ἃ τῆς νῦν προκειμένης γράφεσθαι τὰ περὶ τῆς συνθέσεως τῶν φαρμάκων. i. Cęterum nunc eorum tautummodo, quæ ad aurium faciunt dolorem mentionem faciemus, quũ hoc omnium vltimum habeatur opus, ſicuti ſępius in libris de curandi ratione diximus, in qua quum curandi viam traderem, vnumq; aut alterum particulatim exemplum apponerem, medicamentorum quæcunq; ex pluribus conſtant, multitudinem ad præſens opus reſeruaui, ſic vt therapeuticen methodum libri de ſimplicium medicamentorum facultate præcedãt, qui numero vndecim ſunt, poſtq; hos quatuordecim therapeutices methodi habeãtur libri, hisq; deinceps propoſitum nobis nunc ſcribatur opus de medicamentorum compoſitione. Quod octauo quoq; huius ipſius operis libro repetit. Hoc pacto Galenus librorũ ſuorũ ordinem multis in locis inuertit, quod tamen non temere feciſſe eum par eſt credamus. Animaduertas igitur licet dum de Medicæ artis conſtitutione pertractat, ſic eum ordinem inſtituiſſe, vt poſt inuenta reſolutionis via illa ſimilarium iuxta, ac diſſimilarium partiũ diuerſa morborum genera, viam ſtatim dicat dimouendorum eorum inueſtigandam eſſe ac rationem, qua ſane reperta tum demum remediorum eſſe materias perquirendas. Quod in artibus etiam quibuſcunq; adeo verum eſſe reperitur, vt in nulla non earum rei ipſius ita ferente natura, huiuſmodi ſemper ordo ſpectetur. Nã qui ſarciendis

(verbi gratia) vestibus, calceamentis'ue studēt, aut collapsam aliqua ex parte domum reficere cupiunt,(in quo fere artium genere Ars versatur Medica) prius ij, quo nam id assequantur modo perquirunt, tum rei huic instrumenta aptant accommodantq́. Ad eundem, opinor, modum eum qui humanum corpus suscipiat instaurādum, aut in similaribus lapsum, aut in instrumentarijs affectum partibus, ante remediorum inuestigationem quæsijsse oportet, calfaciendum ne id sit, an refrigerādum, an siccandum, an humectandum: & luxatæ ne, verbi gratia, partes reponendę sint, aut alii id genus morbi curandi: tum remediorum ad hoc recte genera inquirantur necesse est, quibus quasi instrumentis quibusdam, morbis occurramus ipsis, ꝙ non temere rei cuiquam, quam non prius, vt sese habet, teneas, quicquam recte aptes, accommodes'ue. Qua sane ratione post therapeuticen non solum libros loces de componendis medicamentis, sed etiam de simplicium medicamentorum facultate. Sic enim ad hanc rem, quanquam obiter, dicebat Galenus vndecimo therapeutices: ἡ γὰρ ἀπὸ τῆς διαθέσεως ἔνδειξις εἰς τοσούτους ἐτμήθη τοὺς κατὰ μέρος σκοπούς. αὐτοὶ δὲ πάλιν οὗτοι οἱ σκοποὶ τὴν ὕλην τῶν βοηθημάτων εὑρίσκουσι κατὰ τὰς ἐν ταῖς περὶ φαρμάκων εἰρημένας μεθόδους. ἀρχὴ γὰρ ἐκείνων ἐστὶν, εἴς ὅπερ ἐτελεύτησεν ἡ ἐκ τῆς θεραπευομένης διαθέσεως τομή. hoc est, Ab affectu enī indicatio ī tot diuisa est particulares scopos, atq; hi rursus scopi ipsi

remediorum materiem inueniunt secundum methodos in libris de medicamentis traditas: inde enim illorum sumitur initium, ubi curandi affectus diuisio desijt. Simpliciter ait ĩ libris, siue opere de medicamentis, nulla nec simplicium nec compositorum mentione facta, ut intelligas uniuersam illum hac loquendi formula medicamentorum tractationem comprehẽdisse, quam a` therapeutica statim methodo inchoare dixerit, recto nimirũ quodam rei ipsius ordine, quem sane` quum ex finis notione summatim idq; vnico volumine artem constitueret ipsam, integrum in alijs etiam medicę artis partibus seruauit, vt in quo nõ tam docere, quam ipsius tradere cõstitutionem nitatur. At quum eorum quæ iam hac ratione inuenta essent, tradendi viam insistit, sub quem fere` modum tot librorum voluminibus prolixe artem explicuit ipsam, non tam rei, vt habet ordinem spectat, qua`m quo pacto facile quæ scribũtur, legentes intelligant, quod plerunq; in tradendis artibus quibuscunq; cætera omnia præteruertat docendi cõmoditas. Hanc ob rem fit, vt post priores duos de temperamẽtis libros, quũ rei natura quadam subsequi statim deberent libelli tres illi de bona corporis habitudine, de optima corporis nostri constitutione, de inæquali intemperie, additus tamen tertius sit de temperamentis liber, in quo de potentia calidis, frigidis, humidis, & siccis differat, quum in superioribus duobus de ijs, quæ actu talia es-

ſent, diſputaſſet, quod rei vtriuſq;, ſi una tractē tur, facilior ſit cognitio: quum tamen nihil interim prohibeat, Galeno autore, vtrobiq; eos legiſſe. Atq; hos ipſos de temperamētis libros hac certe ratione, nimirum ob doctrinæ affinitatem libri ſequuntur, de ſimplicium medicamētorum facultatibus, poſt quos de compoſitione medicamentorum libri non iniuria locent, propterea quod recte quacunq; in re poſt rerum ſimplicium traditionem, innata quadā via componendarum modus earum tradatur ac via, quo fere modo in libello de librorum ſuorum ordine, in ordinem ipſe libros hoſce digerit, & in arte medica, quod quantum ad rerum facilem cognitionem attinet, perpetuo verum eſt. Nam quū in rerum quaſi actu ſumus ipſo, opereq; aliud quippiam ſpectetur neceſſe eſt, tunc enim, quū ſimplicia nota habuerimus medicamenta, ſcierimusq; ante ex therapeutice quid calefaciendum, quid refrigerādum ſit, aut humectandum, aut exiccandum, rectius ad vſus hos componemus medicamēta: ad quem fere modum inter medicæ quoq; artis initia primaria quidem ratione cauſarum ſcientiam eſſe medicinam affirmat, poſterius vero corporum ſignorumq;: at in actionibus conuerſum ſpectari ordinē, quippe corporum ex ſignis anteire cognitionem, ſequi cauſarum, vt licet diuerſum omnino quiddam ſit, quod Galenus intelligat in arte medica, non diſſimili tamen prorſus ratione, illud quoq; dixiſſe hoc loco li-

ceat, ordine quodã, vti diximus, alio libros de
ſimplicium medicamentorum facultate libros
ſtatim ſubſequi de compoſitione medicamen-
torum: in ipſis vero actionibus contra ſe habe-
re rem, quod tunc admouẽdis recta ratione me
dicamẽtis therapeutica prius tenuiſſe opus ſit.
In hanc ſententiam locutum intelligo Galenũ
tertio therapeutices, & in libro de compoſitio
ne medicamentorum ſecundum locos. Nec,
ſiquidem ad amuſſim, ſigillatimq; eius expen-
dantur verba, aliud animo concipias. ait enim:
τὸ δὲ συνθεῖναι τὰ φάρμακα. hoc eſt, vt verbum
verbo reddamus, componere autẽ medicamen
ta. Et rurſus: ἐπιτηδείως τῇ χρείᾳ. hoc eſt, ad
vſum commoda. Quæ plane verba rerum actũ
quendam, ac muneris notant functionem. Er-
go dum in libro de conſtitutione medicinæ
artem quaſi inſtituit ipſam, conciſe, ſumma-
timq; rerum ſecutꝰ ordinem videri poteſt, quẽ
etiam vndecimo therapeutices libro ſpectarit,
loco paulo ante citato: Vbi id quoq; in trãſcur
ſu notes, dixiſſe illum, ſecundum methodos in
libris de medicamentis traditas ſiue dictas, ſic
traditas dixit, vt id interim tamen argumento
non ſit prius hac de cauſa opus eſſe de medica-
mentis, ne eodem propemodum verſu pugnan
tia protuliſſe coarguatur Galenus, ſed ꝙ moris
id fere autoribus ſit, citandis diuerſis ſubinde
libris mutuo horum inter ſe, nulla rei huiuſce
ratione, facere mentionẽ. Sic Galenum videas
in therapeuticis operis aliquãdo meminiſſe de

medicamentis vt abſolute, at verſa vice thera-peuticωn in libris medicamãtorum. At quum (vt ad rem redeamus) latiſſimos medicinæ ape-rit campos docẽs, legendosq́ue huius libros pro-ponit, nihil illi prius eſt, quam vt facili artẽ via quadam tradat modoq́ue, rerumq́ue a ſequela, do cẽdiq́ue cõmoditate ne diſcedat, quod in libello de librorũ ſuorũ ordine, inq́ue artis medicamen-torũ calce fecerit. Nam quum mediam interſe rit libris de ſimplicium medicamentorum fa-cultatibus, deq́ue horum compoſitione therapeu-ticen, praxin eum potius quandam, ſiue opus atq́ue actionem conſideraſſe docuimus. Sic fit, vt diuerſa ratiõe alij alibi reponi Galeni libri poſ ſint. Quod in Ariſtotelis quoq́ue, aliorumq́ue au-torum libris vſu venire perſæpe videas.

Libri de alimentorum facultatibus, & de bo ni & mali ſucci cibis, deq́ue attenuante uictus ra tione, quomodo Hygijni ſint, quomodo item therapeutici,

Enantioma II.

DVm de ptiſſana loqueretur Galenus pri mo de facultate alimentorũ libro, ſic ait: ταῦτα τοίνυν ἀρκεῖ περὶ τῆς πτισσάνης δυνάμεως εἰρῆσθαι, κατὰ τὴν ἐνεστῶσαν πραγματείαν οὐ θερα-πευτικὴν οὖσαν, ἀλλὰ τὰς δυνάμεις μόνας τῶν τρο-φῶν ἐξηγουμένην. ἐν παραδρομῇ δὲ τοῦ λόγου, καὶ χρεῖαι τινὲς αὐτῶν διδάσκονται. i. Satis ſit iſta de ptiſſanæ facultate dixiſſe in præſenti opere, qđ

therapeuticum non eſt, ſolas vero alimentorũ
facultates enarrat. Cæterum in orationis tranſ
curſu, aliquis etiam horũ vſus oſtenditur. In
libello item de boni & mali ſucci cibis ita ſcri-
bit: ἀλλ᾽ ἴσως ταῦτα ποῤῥώτερον καὶ τῆς ὑγιεινῆς
διαίτης ἐστὶν, ἧς μόριον ὁ προκείμενος ἐκδιδάσκει λό-
γος. hoc eſt, Verum hæc longius fortaſſe à ſa-
lubri victu receſſerint, cuius partem inſtitutus
nobis hic ſermo edocet. Et rurſus in eodem:
λέλεκται δὲ καὶ τελεώτερον ὑπὲρ ἁπάσης τροφῆς ἐν
τρισὶν ὑπομνήμασιν, ἃ περὶ τῶν ἐν ταῖς τροφαῖς δυ-
νάμεων ἐπιγέγραπται. καὶ χρὴ τὸν ὑγιεινῆς τροφῆς
φροντίζοντα, μήτε τῆς ἐκείνων ἀναμνήσεως ἀμελῆ-
σαι, μήθ᾽ ὅλως τῆς ὑγιεινῆς πραγματείας, ἧς μέρος
ἐστὶ καὶ τὸ περὶ τῶν ἐν ταῖς τροφαῖς δυνάμεων, ἀλλὰ
καὶ περὶ τῆς λεπτυνούσης διαίτης ἐναντίας οὔσης
τῇ παχυνούσῃ διαίτῃ, γέγραπται βιβλίον ἕτερον
ἱκανῶς χρήσιμον οἷς ὑγεία σπουδάζεται. i. Porrò
abunde ſatis de alimentis omnibus diximus in
tribus commentarijs, quibus titulum præſcri-
pſimus de alimentorum facultatibus, fueritq́ꝫ
operæpretium eum, cui ſalubris victus ratio cu
ræ ſit, & illa ſubinde in memoriam reuocare,
& operis de ſanitate tuenda meminiſſe, cuius
pars eſt etiam libro de alimentorum facultati-
bus. Cæterum de attenuãte quoqꝫ victus ratio-
ne quæ craſſum facienti contraria eſt, conſcri-
ptus liber alius habetur, ſatis ijs qui ſanitati ſtu
dẽt, vtilis. Ex his dictis colligas aperte licet,
Galenũ tam libros de facultate alimentorum,
q̃ꝫ de boni & mali ſucci cibis, q̃ꝫ etiam de atte-

nuante victus ratione inter eos collocasse, qui medicinæ parti adscribuntur: quæ sanitati tuẽdæ dicata est. At nunc quomodo hos ipsos inter libros connumeret therapeuticos accipe, ex eiusdem de proprijs libris, libello, qua parte in librorum, qui curandi rationem spectant mentione, sic ait: τῆς θεραπευτικῆς πραγματείας θείη δ' ἄν τις καὶ τὰ περὶ τῶν ἐν ταῖς τροφαῖς δυνάμεων τρία, καὶ τὸ περὶ τῆς λεπτυνούσης διαίτης, καὶ τὸ περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας. i. Sane operi therapeutico adscribi etiam possunt tres de facultatibus alimentorum libri, & liber de attenuante victus ratione, & de boni & mali succi cibis.

Mihi sane ĩter vtrosq; collocari merito posse videntur, tametsi magna certe ex parte Hygiini sint: nam qui de alimentis pertractat, is plerunq; multa recenseat necesse est, quæ ad curandi faciant rationem, vt in quorum plerisq; præter alimentum id quod de se corpori subministrant, nõnullæ etiam spectentur sæpenumero medicamentorum vires, sicuti quum Lactucam, verbi gratia, præter id quod alat, refrigerare dicimus: vt alia quædam excalfacere, aut tale quippiã, aut tenuibus alia constare partibus, crassioribus alia: atq; hæc infarctu viscera liberare, illa obstruere, & id genus multa, quæ tam curandis morbis, q̃ sanitati tuendæ accommoda sint. Proinde Galenus in capite de hordeo, dum de ptissana disputat, quamuis de solis alimentorum facultatibus sermonẽ instituat, stylum tamen ad therapeutices scopos vertit, ora-

tionis ipsius ductu ac filo coactus, nimirum par-
tis vtriusq; therapeutices scilicet, & Hygijnæ
ita ferente natura atq; affinitate, ꝙ quidem ad
alimentorum tractatum attineat, vt ægre de al-
tera absq; ꝙ altera pertractetur, disputes: ideoq;
in libello de proprijs libris verbo vsus est, θείκ
δ' ἄυτὶς. (Quem verborum modum potentia-
lem appellat doctissimus Linacer in de emēda-
ta structura latini sermonis.) quasi ita senserit
Galenus, libros hosce quum Hygijni sint, pos-
se nihilominus inter therapeuticos etiam repo
ni. Sed & id in primis therapeuticos illos for-
tasse faciat, ꝙ curādis morbis, acutis pręsertim,
rectam institui ante omnia victus rationem ne
cessarium adeo est, vt eo neglecto nec prædici
tuto quicquā possit, & deteriores alioqui sem-
per morbi fiant: id quod præter Galeni hoc af-
firmantis autoritatem, etiam experiētia ita ma-
nifestum est, nulla vt egeat probatione, pau-
lū modo in rebus medicis exercitatis. Atq; vti
nam non id magno etiam vitæ suæ discrimine
quotidie experirentur ægroti, quoties in negli
gentiores aliquos aut ineruditos medicos inci-
dunt, polypharmacos istos, quibus nihil pro-
positum aliud sit, q̄; ne non aliquid semper age
re videantur, vt medicamentis assiduis, neq; ijs
necessarijs ægros excarnificent: quum nihil in-
terim quod ad victus spectet rationem, cōside-
rati habeant, per quos non stat, vt quantum in
ipsis est, totum hoc instituendæ victus rationis
artificcium pereat, nisi a' cādidioribus ingenijs,

quæ iam plurima ſeculum hoc (hac quoq; ex parte felix) alit, modo manus parti quoq; huic maxime depoſitæ adhibeantur auxiliares. Sed, quod dicere inſtitueram, vt aliquis diæteticus ſit, quæ non poſtrema therapeutices artis pars eſt, non in eo ſolum laborabit, quo tempore dandi negandíue cibi ſint, vt ſciat, ſed etiam illud diſquiret, vel præcipue, quales exhibendi ſint, ií ne qui vires minuant, an qui conſeruent, aut etiam pro morbi aliquãdo ratione qui augeãt. hoc eſt, tenuis'ne, an ſumme tenuis, an vberior quædã inſtituenda victus ratio ſit. Quod vnde nã quæſo melius, quàm ex libris putas iſtis? quos quũ Hygiínos, quod patet, eſſe dixiſſet, aliquã in therapeuticων etiam catalogum retulit: non illorum quidem qui vndiquaq; huiuſmodi haberẽtur, ſed in quibus multa certe ineſſent therapeutica theoremata. Quo nomine commentarios etiam in Hippocratem ipſos in hãc claſſem digeſſit, eodem loco, in quibus quum multa contineãtur, quę ad therapeutica faciant, nõ pauciora certe ea ſunt quæ ad morborum attinẽt dignotiones, & prænotiones: quod his verbis teſtetur: ταχθείη δ᾽ ἂν καὶ μετὰ τῶνδε τὰ εἰς Ἱπποκράτη γεγονότα ὑπομνήματα, ἐν οἷς πάμπολλα περιέχεται θεραπευτικὰ θεωρήματα, καθάπερ γε καὶ διαγνωστικὰ, καὶ προγνωστικά. hoc eſt, Cum his vna collocari etiam recte poterunt in Hippocratem commentarij, in quibus theoremata cõtinentur multa therapeutica, ſicuti certe, & diagnoſtica, & prognoſtica.

Syncera nonnunquam dici elementa, non quæ syncera sint, sed quæ ita esse dicantur loquendi modo minime exquisito,

Enantioma III.

Notent & illud tyrones, quibus ista potissimum scribimus, quod in primo de elementis secūdum Hippocratem libro, prius elementum nullum syncerum inueniri affirmat his uerbis: ὥστ᾽ εἰ ζητοῖς ἐν τοῖς ζώοις γῆν, ἔχεις θεάσασθαι τοιαύτην οἵαν κ᾽ ἂν τῷ κόσμῳ. τὴν δ᾽ ἄμικτόν τε, καὶ παντελῆ, καὶ μόνην, οὐκ ἂν οὐδ᾽ ἐν ἐκείνῳ ῥᾳδίως ἐξεύροις, ὥσπερ οὐδὲ ὕδωρ καθαρὸν. καὶ ἀμιγὲς ἁπάντων τῶν ἄλλων, οὐδὲ πῦρ, οὐδὲ ἀέρα. νενόθευνται γὰρ ἅπαντα τοῖς ἑτερογενέσι, καὶ ἀναμέμικται καὶ μετείληφεν ἀλλήλων, ἢ μᾶλλον, ἢ ἧττον. i. Quod si terram quæris in animantibus, talem cernas licet, qualem in mundo. Nam cui nihil admistum aliud sit, atq; omnino talē, solamq;, ne in hoc quidem inuenias, sicuti nec aquam puram, nec ignem, nec aerem. Siquidem cūcta diuersis prorsus admixta rebus degenerarunt, atq; inuicē participant, plus, minus'ue. Quod ἄμικτον hoc loco dicit, haud ita multo ante εἰλικρινῆ καὶ ἄμικτον dixerat. i. syncerum impermistumq;. At paulum tamen hoc eodem in libro progressus, elementis nos vti ipsis scribit εἰλικρινέσιν. i. synceris, in hunc modum: καί τοι καὶ εἰλικρινέσιν χρώμεθα πολλάκις τοῖς τοῦ κόσμου στοιχείοις, ὕδατι μὲν ὁσημέρα χρώμενοι, καὶ πίνοντες, καὶ

λουόμενοι, καὶ ἄλλως ὁπωσοῦν ἀέρι τε πανταχόθεν ἡμῖν περικεχυμένῳ, καὶ διὰ τῆς εἰσπνοῆς ἑλκομένῳ. καὶ μὲν δὴ κατεψυγμένοι πολλάκις ἐδεήθημεν πυρός. hoc eſt, Atqui mundanis elementis ſæpenumero vtimur etiam ſynceris, & aquæ quidem tantum non quotidianus vſus eſt, nunc bibendo, nunc lauando, aut alia quauis ratione: aeris autem vt qui circunquaq; nos ambiat, illumq; inſpiratu trahamus, ſed igne quoq; ipſo ſępius indigemus frigore affecti. Sic ſynceris nos mūdi elementis vti intelligendū hoc loco, non vt quæ re ipſa ita ſint, ſed quæ videantur, quæq; ſi cum rebus quas ex ſe miſtas efficiunt, ac conſtituunt, conferantur, dici ſyncera poſſint, ſic vt exacte loquenti, & ἀκριβολογοῦντι ſyncera appellari minime debeant elementa, quibus quidem vtimur: at craſſiuſcule pronuntianti, & vt Ariſtoteles aliquādo dicebat, παχυλῶς, ſint recitenturq; ſyncera. Quod ne cui mirum tandē videatur, aliam eſſe debere exquiſite, aliam pinguius (vt ita dicam) loquentis orationem, vel Galenū ipſum audi in ſecūdo de differentijs febrium ita ſcribentem: ὅμως δ' οὖν καὶ οὗτος ὅταν ἀκριβὴς ᾖ, τοῖς πολλοῖς δοκεῖ καθαρὸν ἔχειν τὸ διάλειμμα, καὶ ἡμεῖς οὕτω καὶ αὐτοὶ λέγομεν οὐκ ὀλιγάκις, ὅταν ἄκαιρος ἡ ἀκριβολογία φαίνεται. hoc eſt, Verūtamen hac quoq; ipſa, quum quidem exquiſita fuerit, multis interuallo eſſe ſyncero viſa fuit: id quod ipſi quoq; nō raro fatemur, quoties nullus videtur exacte exquiſiteq; loquendi locus. Quottidianæ febris intermiſſionis tē-

pus, ait Galenus, exquisito sermone si loquamur, & vt res habet, nunquam quidem à putredinis nota destituitur, quam tam in calore, q̃ in arteriæ pulsu deprehẽdas: licet tamẽ interim puram quoq; intermissionem eam esse fateri, minus licet sit, quũ intempestiuus alioqui exactus ille exquisitusq; esse sermo videbitur.

Quòd Autumnum frigidũ & siccum esse dicunt, quonam accipiendum modo sit, solutaq; inibi contrarietas super re hac,

Enantioma IIII.

AVtumni temperamentum antiquorum plerisq; pro frigido & sicco habitũ fuit, quorum opinionem primo de temperamentis libro Galenus refellit, siccum quidem eum statuens: quod verò ad calidum & frigidum attinet, mixtum potius ex his, atq; inæqualem. Habent autem ad hunc modum verba: δῆλον οὖν ὡς οὐδὲ τὸ φθινόπωρον ἁπλῶς οὕτως ῥητέον ὡς ἐκεῖνοι λέγουσι, ψυχρόν τε εἶναι καὶ ξηρόν. ἄκρως μὲν γὰρ οὐδέτερον ἐστὶν, ἐπικρατεῖ δ᾽ ἐν αὐτῷ τὸ ξηρὸν τοῦ ὑγροῦ, καὶ δικαίως ἂν λεχθείη ταύτῃ μὲν ξηρὸν, ἐν δὲ τῇ κατὰ θερμότητα καὶ ψυχρότητα διαφορᾷ μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν, καὶ ἀνώμαλον. ὥστ᾽ εἴπερ τὰς τέσσαρας συζυγίας τῶν κράσεων εἰς τὰς τέσσαρας ὥρας διανεῖμαι σπεύδουσιν, ἴσωσαν οὐ μόνον ἦρι κακῶς προσάψαντες ὑγρότητα καὶ θερμότητα κράσεως, ἀλλὰ καὶ φθινοπώρῳ ψυχρότητα καὶ ξηρότητα. i. Patet aũt

neq;

neq; autumnum ipsum sic absolute frigidũ esse siccumq́; pronuntiandum, vt illi affirmant: neutrum enim horum summe est, quamuis humidum in eo vincatur sicco, ideoq́; siccus merito hac quidem ratione dicetur: inter calidi autem frigidiq́; discrimen, ex vtroq; commistus atq; inæqualis. Norint igitur si qui per quattuor anni tempora, quattuor distribuere temperaturarum paria student, non solum veri se falso caliditatem & humiditatem reddere, sed etiam autumno frigiditatẽ & siccitatẽ. His plane verbis frigiditatis & siccitatis coniugationem, inter anni reperiri tẽpora posse negasse videtur: at in secũdo de facultatibus naturalibus lib. dũ humorum discrimina pertractaret, sic ait: ἆρ' οὖν θερμὸς μὲν τίς ἐστὶ καὶ ὑγρὸς χυμὸς, καὶ θερμὸς ἕτερος καὶ ξηρὸς, καὶ ὑγρὸς καὶ ψυχρὸς ἄλλος, οὐδεὶς δ' ἐστὶ ψυχρὸς καὶ ξηρὸς τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἡ τετάρτη συζυγία τῶν κράσεων ἐν ἅπασι τοῖς ἄλλοις ὑπάρχουσα μόνοις τοῖς χυμοῖς οὐχ' ὑπάρχει. hoc est, Nũ igitur calidus quidẽ atq; humidus humor aliquis fuerit, calidusq́; & siccus alius, atq; ali⁹ frigidus humidusq́;, nullus autem facultate frigidus siccusq́; erit, sed quarta hæc temperaturarũ cõiugatio, quæ in reliquis omnibus reperitur, in solis scilicet humoribus nõ reperietur? Frigiditatis, siccitatisq́; coniugationem in alijs reperiri omnibus ait, quæ tamen eodem autore inter anni tempora locum sibi nullum vendicet. Sed illud diligenter animaduertendum, autumni temperamẽtum in calidi frigidiq́; discri-

mine,eiuſmodi eſſe,(nam de ſiccitate nemo ambigit, quin ſiccus iure dici poſſit ac debeat) ſed quod ad frigiditatis & caliditatis rationem attinet,notandum inquam autumnum eiuſdem ferè cenſeri à Galeno temperiei, atq; ver ipſum, (quoniam veris exemplo abſoluto ita ſermone citraq; exceptionem vtitur) neq; calidus, neq; vero dicendus frigidus ſit, vt qui æſtate quidẽ minus calidus ſit,ſicuti hyeme minus frigidus. Qua ratione ſiquidem cum æſtate conferatur frigidus, ſi cum hyeme exiſtimari calidus poſſit: quo argumento ver ipſum temperatum eſſe declarabatur à Galeno eodẽ libro. Sed ne idẽ adfirmare prorſum de autumni tẽperatura poſſimus: faciunt verba quæ ſubtexit ſtatim,de caliditate & frigiditate diſputans,ſic enim ait: ἀμφότερα γάρ ἐστι, καὶ οὐδέτερον ἄκρως. hoc eſt, Vtrũq; enim eſt, ac neutrum ſimul ad ſummum. Quorum ſanè verborum intellectus is ſit, vt autumnus frigidus exiſtimari & calidus poſſit, haud quaquam tamen eodem tempore, (vt mox indicabimus) etiamſi æſtatis caliditatem non aſſequatur,neq; verò ad Hyemis frigiditatem accedat, ſed ſi cum temperata re quapiam, vt cum vere ipſo conferatur, ita fiet vt autũnus qua parte calidus eſt, ſi cum æſtatis caloribus, frigidus, ſi cum veris comparetur temperie appellari calidus poſſit. Rurſusq; qua frigidus ſi cum hyemis algore calidus,ſi cum veris temperie frigidus meritiſſimò cenſeatur,ꝙ ſatis ſit frigidum & ſiccum autumnũ ſtatuenti, parq; hoc

temperaturarum, siue cōiugationem indaganti. Neq; enim frigiditatem in autumno nunc eam quærimus, quæ æstatis comparatione intelligatur, ne loci præcipitis cuius nos sæpe admonuit Galenus errore ducti labamur, sed quę rei potius temperatæ collatione, verius ita rectiusq; dicatur, ac sit. Quod vt in autumno facilè, sic in vere statui minimè potest, vt quod nūquam nisi si æstatem spectes frigidum dici verè quidem recteq; valeat, & ab diuersa prorsus q̄ ver ratione frigidus autumnus, idemq; interdū calidus, q̄ temporis huiusce inęqualitas faciat. Quo potissimum nomine à præstātissimis semper medicis damnatur, siquidē mane frigus primū, horis deinde meridianis calor, tum vesperi rursus frigus inualescit: quo quid inconstantius inæqualiusq;: vt nō immeritò autumnos inęquales vocarit poetarum elegantissimus his carminibus:

Inq; hyemes æstusq; & inæqualeis autūnos
Et breue ver, spatijs exegit quatuor annum.

Sic in libris quoq; de temperamentis frigidum haud dubie, & siccum autumnum esse concesserit Galenus, nisi fallor. Nam q̄ ait, μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν. i. ex vtroq; commistum, sic intelligēdum, non vt quum dicimus temperatum, verbi gratia, corpus, ex calidi & frigidi ęqua vtriusq; portione cōstare, sed quum ex nubilo serenoq; mistos dies dicimus, q̄ hora alia nebulis obducatur cœlum, alia serenitate discutiātur illæ: alioqui cur addidisset ἀνώμαλον. i. inæqualem: Quę

porro non nisi temporis cōstare diuersitate potest hoc loco inæqualitas. Atque hoc pacto inter anni tempora, frigidi & sicci cōiugationem reperias: nam in reliquis nullo hāc sane negotio deprehendas aeris constitutionibus, regionibus, ætatibus, naturis, prorsus, vt uerissime affirmarit Galenus, reliquis inesse omnibus temperaturam hanc, quod tamen statui in alijs coniugationibus non liceat. Neque enim tempus anni calidum & humidum vllum fuerit, autore Galeno, tametsi cœli plerunque cōstitutio ipsius talis euadat: neque vero ætas vlla frigida & humida, vt in libro de cau. symp. opinor tertio. Sic porro argumēto vtitur illo Galenus in tertio de facultatib9 naturalibus, vti nō sane p magnam in eo vim statuat, sed propositionis poti9 cuiusdam loco habeat, quam rationibus deinde clarioribus probet atque euidētioribus, quod & facit: alioqui nec ipse argumentandi formulam hanc facile admittit, & falli manifestissime testatur, qui temperaturarum coniugationes in omnibus omnes quærant, quod fieri minime necesse sit, quando nec anni temporibus calidi & humidi insit temperamenti par, vt diximus, neque ætatibus frigidi & humidi.

Partes corporis quasdam ex semine ortas, quod ex sanguine aliquando procreari dixerit Galenus, non rei fieri ignoratione, sed confutandis facilius ita commodiusque aduersariorū dictis,

Enantioma V.

NEminem nescire arbitror paulum modò in Galeni libris exercitatum, eum in ea esse sententia cum Hippocrate vnà, vt existimet in semine generatiõis primordia inesse vtraq;, vimq; id obtinere tam materialem q̃ effectricem, vt ex quo nerui generentur, & arteriæ, & venæ, & ossa, & membranæ, aliaq; id genus. Quam planè opinionem ĩ libris de semine rei huic priuatim dicatis, in quibus contra Aristotelem ab Hippocrate stat, quum rationibus adstructam validis, argumentisq; confirmasset, sic vbiq; inconcussam tuetur, vt non vereatur ex ea tanquam demonstrata, quæq; esse in cõfesso debeat, difficultates etiam quasdam diluere: sicuti quum q deperdita vena, arteria'ue, aliaq; huiuscemodi, minimè iterato genita restituantur, aut certè rarenter, causam in semineæ materiæ defectũ reijcit, quod eum non semel neq; vno tantum in loco facere videas, quæ nunc lõgum esset, nec sanè necessarium afferre. Huiusce tamen sententiæ quasi ex diametro contrariam aliquando pronuntiauit, secũdo de facultatibus naturalibus libro in hunc modum scribens: ὀστοῦν γὰρ, καὶ χόνδρος, καὶ ἀρτηρία, καὶ φλὲψ, καὶ νεῦρον, καὶ πιμελὴ, καὶ ἀδὴν, καὶ ὑμὴν, καὶ μυελὸς ἄναιμα μὲν, ἐξ αἵματος δὲ γέγονε. i. Etenim os, & chartilago, & arteria, & vena, & neruus, & pinguedo, & glandulæ, & membranæ, & medulla sanguine quidem vacant, at ex sanguine ortum

ducũt. Quo q̃d pugnãtius dici excogitari'ue poteſt cum ſentẽtia priore, in qua ex ſemine generari ea omnia teſtetur? Neq; hoc tantum, ſed haud ita multos poſt verſus eodẽ in libro aperte indicat ſemen principium eſſe effectiuum, vt ſanguinem menſtruum materiale, quaſi qui Hęreſeos ſuæ palinodiam his verbis cecinerit. Scio multa hoc ĩ loco dici a multis poſſe, quos tamen hærere omnes in ſalebra neceſſe ſit, quãtum quidẽ ego video. Mihi illud placet, quod vt minime anxium ſcrupuloſumq; eſt, ita fieri ſæpe cõſueuit, apudq; receptiſſimos autores vſitatum reperitur, vt dicamus alijs quidem in locis ſuam vbiq; ſecutum ſententiam eſſe Galenum, eiusq; valida ieciſſe fundamenta, dicato ſeorſum etiam rei huic opere. At quum res illi cum Eraſiſtrato eſſet, naturam artificioſam quidem aſſerenti, naturales tamen huius facultates quaſdam diſſimulãti, oportuiſſe eum ad hominem argumenta rationesq; accõmodare, quod facturus probe fuerat ſi, eiſdem quib9 ille niteretur fundamentis vulgo iam receptis, quibus ille minime reclamaret, quæq; non tantum ex Ariſtotelis ſchola prodeuntia admitteret, ſed etiam lubens agnoſceret in eadem familia nata atq; educata, ſiquidẽ Ariſtotelis ex filia nepos Eraſiſtratus fuit, itaq; fecit. Cuius rei exempla paſſim notes non pauca maximorum alioqui autorum, idem ſubinde factitantium, quoties aduerſarios argumentationibus in hominem (vt ita dicam) directis aggrediuntur, ſuoq; illos

ſibi(quod dicitur) gladio iugulant. Nec me tamen fugit viam ipſum explicuiſſe aliquãdo, ac rationem monſtraſſe planiſſimam quandam, qua dici poſſit ortũ ex ſanguine ducere animalia. Ea eſt in primo ĩ libellum de natura humana cõmentario, dum caput exponeret illud cuius initium: ἀξιῶ δ' ἔγωγε τὸν λέγοντα αἷμα μοῦνον εἶναι τὸν ἄνθρωπον. hoc eſt, Rectum autem mihi videtur eſſe, vt qui ſanguinem ſolum hominẽ eſſe affirmat. Nõ grauabor aũt cuncta ea adſcribere, quæ minime à propoſito hoc abhorrent. Sunt autem hæc: διττῶς δὲ τοῦ αἵματος λεγομένου, τοῦ μὲν ὅπερ ἐν ταῖς φλεβοτομίαις, καὶ τοῖς τρώμασι κενούμενον φαίνεται μετέχοντος, ὡς ἐδείκνυμεν, ἀμφοτέρων τε τῶν χολῶν, καὶ τοῦ φλέγματος. ἑτέρου δὲ τοῦ καθαροῦ τε καὶ εἰλικρινοῦς, ἀμίκτου τε τῶν ἄλλων χυμῶν. ἐκ μὲν τοῦ κατὰ τὸ πρότερον σημαινόμενον αἵματος ἀληθὲς ἴσως ἐστὶ διαπλάττεσθαι τὸ κυούμενον, ἐκ δὲ τοῦ κατὰ τὸ δεύτερον οὐκ ἀληθές. οὐδέ ποτε γὰρ ἐν ταῖς κυούσαις μόνον γίγνεται τοῦτο. διὰ τί δὲ προσέθηκα τῷ λόγῳ τὸ ἴσως, οἶμαι γιγνώσκειν ὑμᾶς. ἐν γὰρ τοῖς περὶ σπέρματος ὑπομνήμασιν, ἐδείχθη τὰ πλεῖστα μόρια τοῦ σώματος ἐκ τοῦ σπέρματος γιγνόμενα, μόνων τῶν σαρκωδῶν ἐξ αἵματος διαπλασσομένων, ἀλλ' ἐπεὶ μὲν τοῦ σπέρματος ὀλίγος ἐστὶν ὁ καταβαλλόμενος εἰς τὰς μήτρας ὄγκος, ἡ τροφὴ δ' αὐτῷ, καὶ ἡ αὔξησις ἐκ τοῦ αἵματος γίγνεται, διὰ ταῦτ' ἄν τις ὀλίγου δεῖν, ἐξ αἵματος φαίη διαπλάττεσθαι τὰ μόρια, καθ' ὅσον δὲ τὸ σπέρμα τὴν γένεσιν ἐξ αἵματος ἔχει, κατὰ τοῦτο ἄν τις ἐξ αἵματος εἶναι λέγων τὴν

γένεσιν τοῦ κυομένου δόξειεν ἀληθεύειν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐξ εἰλικρινοῦς αἵματος ἀμίκτου τῶν ἄλλων χυμῶν, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ κατ᾽ ἐπικράτειαν ὠνομασμένου. i. Bifariã autem quum dicatur ſanguis, & alius quidem ſit, quem ex diſſecta prodire vena ac vulnerib⁹ cernimus, qui, vt oſtendimus, tum vtriuſq; particeps eſt bilis tum pituitæ: alius autem purus ſit meruſq; quidam, minimeq; humoribus alijs adulteratus, vere fortaſſis dici poſſit ex prioris ſignificati ſanguine fœtum formari, ex alterius nõ vere: neq; enim in prægnãtibus ſolus itaq; is conſtiterit. Opinor autem non ignorare vos quamobrem ſermoni verbum, fortaſſis, addiderim, ſiquidem in commentarijs de ſemine, partes quæ carnoſæ ſunt, ſolas ex ſanguine formari docuimus, quũ corporis partes plures ex ſemine generentur. Cæterum quoniam pauca quædam eſt ſeminis, quæ in vterum recipitur quantitas, quæ ipſa alimentum ex ſanguine incrementumq; ſuſcipiat, fieri hac ratione poteſt, vt penè ex ſanguine quis formari partes dicat: quatenus autem ſemen ex ſanguine generatur, hoc ſanè modo ſi quis fœtum ex ſanguine generari contendat, vera is dixiſſe videri poterit, non ex eo tamen ſanguine qui purus ſit, humoreq; alio nullo vitiatus, ſed eo qui maioris participatione ita appelletur. (Sic enim κατ᾽ ἐπικράτειαν interpræta.) Si quando igitur ſcriptum apud Hippocratem, aut Galenum inuenias, aliumúe quempiam autorem qui in eadẽ ſit hæreſi, ex ſanguine oriri membra ipſa, id perinde

dictum accipias oportet, quasi ex sanguine oriri dicantur membra omnia, non id quidem vt ita habeat, quum non exigua horum pars ex semine generetur, sed ꝙ quum parua huiusce sub sit in vtero, si cum sanguine conferatur, portio, hancq́ȝ ipsam sanguis ipsa præterea alat incrementoq́ȝ foueat, non immerito ex sanguine generari dicantur. Aut rursus quoniam semen, sanguinem vnde generetur materiam obtinet, hactenus dici possint membra ex sanguine oriri omnia, quum tamen interim plurima (vt diximus) ex semine etiam generētur: ꝙ quum ex sanguine semen consistat facile intelligi possit qui ex sanguine generari animantium partes affirmet eundem de semine quoq́ȝ sentire, quoniam quidem ex sanguine semen. Atq́ȝ hac Galeni ipsius dictione, vt ad diluendas aliȷs in locis ambiguitates hasce vti possimus, hoc certè loco non possumus. Corruat enim argumentum necesse est, quod in Erasistratum molitur, nisi hoc illi cum Erasistrato cōueniat, membra omnia ex sanguine re ipsa veraq́ȝ generari, quo in primis nititur fundamento. Id quod perquāfacile animaduertat, qui Galeni verba perpendere secundo de facultatibus naturalibus libro non grauabitur.

Pariendi œconomia quomodo perficiatur, tum expositi super hoc conciliatiq́ȝ pugnantes sibi inuicem Galeni loci,

Enantioma VI.

DE numero facultatum, quas naturales vocant, expultrix quoq; est. Hanc in ventriculo, muliebriq; vtero euidentem vsq; adeo facit Galenus, manifestamq; in tertio de facultatibus naturalibus libro, vt inde exemplum in mẽbris quoq; alijs statuat: sic enim scribit, quũ de contentrice prius vteri facultate disseruisset: ἐπὶ δὲ γε τῆς ἐναντίας τῆς ἐκκριτικῆς ἀνοίγνυται μὲν τὸ στόμα, προέρχεται δὲ ὁ πυθμὴν ἅπας ὅσον οἷόν τ᾽ ἐγγυτάτω τοῦ στόματος ἀπωθούμενος ἔξω τὸ ἔμβρυον. ἅμα δ᾽ αὐτῷ καὶ τὰ συνεχῆ μέρη τὰ οἷον πλευρὰ τοῦ παντὸς ὀργάνου συνεπιλαμβανόμενα παντὸς τοῦ ἔργου, θλίβει τε καὶ προωθεῖ πᾶν ἔξω τὸ ἔμβρυον. καὶ πολλαῖς τῶν γυναικῶν ὠδῖνες βίαιοι τὰς μήτρας ὅλας ἐκπεσεῖν ἠνάγκασαν ἀμέτρως χρησαμέναις τῇ τοιαύτῃ δυνάμει. i. In facultate autem cõtraria, nempe expultrice, os quidem recluditur ipsum, ima autem sese totam pars quoad fieri potest maximè, propè ad os demittit, propellẽdo foras fœtui: simul etiam vicinæ partes, instrumẽtiq; totius quasi quædam latera præstito ita vniuerso operi adminiculo foras fœtũ protrudunt impelluntq;, sic, vt compluribus plerunq; mulieribus ob vehementes pariẽdi dolores necessario exciderit vterus, dũ immodicè facultate hac vtitur. Quo in loco verbũ χρησαμέναις, ad mulieres rettulit Linacer, quũ potius ad vterum, siue μήτρας referendum fuerit, quod apertè verbis, quæ mox Galen⁹ prædictis adnectit,

indicatur, dum luctæ exemplū adfert: οὕτω γὰρ καὶ αἱ μῆτραι τὸ ἔμβρυον ὠθοῦσαι συνεξέπεσον ἐνίοτε, i. Sic enim vterus quoq; ipse, dum fœtū extrudit interdum excidit. Ergo facultatis huiusce in vterum, non aūt ad mulierem referendus vsus. Cui tamen facultati auxilium præstare pariēs quoq; ipsa potest, musculorum abdominis contentione, sed de hac paulo post pertractat, quod sane fugisse Linacrum miror, virum alioqui in vertēdis græcis Galeniq; in primis libris occulatissimum, sic quidem nullus vt illi ad hanc vsq; diem palmā, quantum ego quidem sentio, in hoc genere eripuerit, quod bona cum interpretum omnium venia dicēdum sit. Neque hic tamen tantum ab eo erratum, sed quid facias? id scilicet humano more fit. Fuit autem primo fortassis scriptum χρησαμένας nō χρησαμέναις, quod erroris ansam dederit, deinde librariorum aliquis literulam addit. i. facili, vt fit, in rebus his, & lubrico. Aut si non hoc, locutionis certe schema quoddam agnoscere hoc loco possumus, hoc nanq; modo nō absurde prorsus opinor dixerimus, συνέβαινε δ' ἐκπεσεῖν με, exempli gratia, δίφρῳ σφοδρότερον τῇ μάστιγι πρὸς τοὺς ἵππους χρησαμένῳ, quum rectius tamen esset χρησάμενον. Sed hæc obiter, neque tamen præter rem penitus dicta sint, quādo nō parum referat, mulier ne an vterus in expellendo fœtu hac vti facultate dicatur, rei quidem ipsi, qua de nunc agimus, diligentius explanādæ. Clarius autem est (vt ad rem redeam) q̃; vt vlla

egeat probatione, pariendi opus ipſum vteri in primis expultrici facultati acceptũ referri oportere, quod quidẽ late, vt alia omittam, ex libris colligas de facultatibus naturalibus, ita certè Galeno teſtante ipſo, qui tamen aliquãdo dum ſextum Hippocratis Epidem. librum explicaret, ita ſcribat: ἑκάτεροι δ' ἁμαρτάνουσι τὰς κινήσεις τοῦ ἐμβρύου ταῖς ὑστέραις ἀνατιθέντες. εἴτε γὰρ στρέφεται κατὰ τὸν ὄγδοον μῆνα πάντως δήπου τὴν κίνησιν ταύτην ἐξ ἑαυτοῦ ποιεῖται, τήν τ' ἀποκύησιν, ὅταν κινούμενον ἰσχυρότερον ἀπορρήξῃ τινὰ τῶν περιεχόντων ὑμένων λαμβάνει. τοῦτο γὰρ κἀν τῷ περὶ παιδίου φύσεως εἴρηται κατὰ τήνδε τὴν λέξιν. hoc eſt, Cæterum vtriq; falluntur, dum fœtus motionem in vterum reijciunt. Nam & quum octauo menſe circũagitur, motionem ipſe vtiq; per ſe molitur, & partum præterea ipſe adipiſcitur, quum violento motu membranarum aliquam diſciderit, quibus continetur. Idemq; in libello de natura pueri dictũ his verbis, quæ deinceps Galenus verba recitat confirmandæ ſententiæ ſuæ Hippocratis autoritate. Quę igitur expultricis facultatis functio, quod opus, ſiquidẽ motus is minime tribuẽdus vtero ſit, partũq; fœtus ꝑ ſe afficiat ipſe? Et hercule ſi vt hñt tantum inſpiciantur verba, neq; aliter expendãtur, cui tandem eſſe dubium poteſt, quin apertiſſima notari poſſit ex his diſcordia inter ſe? Sed inde fortaſſe petendum auxilium fuerit, vnde diſſidium hoc ortum, vt ita dicam, nempe ex Hippocratis de pueri natura libello, ſcriptum

autem ibi ita inuenias, quod etiã quinto aphorismorum secto referat Galenus: ὅταν δὲ αὐτῷ ταῦτα σπανιώτερα γένηται, καὶ ἁδρὸν ᾖ τὸ παιδίον ζητοῦν τε πλέον τῆς ὑπαχούσης τροφῆς ἀσκαρίζει, καὶ τοὺς ὑμένας ῥηγνύων ἀρχὴν ἀποκυήσεως παρέχει τῇ μητρὶ.i. Quũ vero hæc minime iam esse suggerunt, excreueritq; aliquantum iam puellus, alimento non contentus præsenti locum subinde mutat, disruptisq; mẽbranis matri pariendi initium adfert. Quod si pro μητρὶ, legitur μήτρῃ.i. vtero, longe adhuc magis ad rem id faciet nostram. Et sane facilis fuerit librarijs a μήτρῃ, in μητρὶ lapsus. Scribitur autem pro μήτρα, μήτρη ionice Hippocratis lingua. Porro vtrumcunq; legatur, satis id constat, fœtui quidem ex verbis his id tantum tribui, vt sese in vtero agitet membranasq; discerpat, vnde pariendi initium ducatur: siquidem expultrix vteri facultas offensa hac irritata sese ad deponendam noxam erigit, vniuersaq; extrudendo deinde fœtui incumbit. Quod si pro μήτρῃ.i. vtero, legas μητρὶ.i. matri, id perinde dictũ intelligas, atq; quoties aut exonerare aluum, aut lotium remittere nos velle dicimus, quũ expultricis tamen id alui vesicæq; facultatis opus verius sit, quod nihilominus, animalis quoq; aliqua ex parte iuuare vis possit, (suppetias enim tunc operi ferũt abdominis musculi) quod idẽ in pariendo quoq; contingat, simul musculi eo tempore sese explicant ani vesicæq;. Non dissimili sane modo in muliere, quam parere vsi-

tatiſſime dicimus, opus in primis peragitur vteri, vt ſi proprie tandem loquendum ſit atq; exacte, vtero id tribuendum rectius ſit, tametſi abdominis quoq;, vti diximus, tunc muſculis perficiatur auxiliaribus. Ergo quod Galenus dixit non eſſe vtero tribuẽdam fœtus commotionem, vere dixit, ſiquidem alius prorſus eſt motus is q̃ expultrix virtus: nec verum minus, ꝙ dixerit partum adipiſci fœtum ex motu violento continentiumq; membranarum diſruptione. Non quidem quod pariendi ita peragatur opus, ſed ꝙ vim id potius ſtimulet expultricem vteri, qui pariẽdi ita demum auſpicetur initiũ, hoc eſt, vt Hippocrates dicebat, ἀρχὴν ἀποκυήσεως, quam ſane partus (vt ita dicam) inchoationẽ, vtero eo loci Hippocrates tribuit, ſi μήτρη ſcriptum ſit, aut matri, ſi μητρὶ, eo plane rei huiuſce intellectu, quem antea explicuimus. Atq; ita pariendi opus, facultatis totum fuerit vteri expultricis, vt tertio de falcultatibus naturalibus libro demõſtratur: quippe quæ id inchoet totum atq; abſoluat, niſi quaten⁹ operi ſeſe immiſcent, quod alibi etiam fit, & tanquã manus porrigũt adiutrices abdominis muſculi: at operi anſam dederit, quaſiq; occaſionem exhibuerit fœtus ſeſe ſubinde motitans, membranasq; diſcerpens, quo ſane pacto partum adipiſci, ſiue ſtruere recte dictus ſit.

De coeundi deſyderio in animantibus, voluptatis ne ad id fini, an natura quadam ducan-

tur ea, an vtrumq́ potius, defensusq́ à contradictione rei huius Galenus manifestaria,

Enantioma VII.

IVuet autem interdum ad vitandum fastidiũ quod suboriri persæpe in rebus his solet, & tanquam marcentem stomachum leuãdum lectionis diuerticula aliqua quærere. Sic tamen vt sponte tantum natis, non etiam quæsitis accersitisq́ argumentis, neq́ omnino extra proprios præfixosq́ cancellos fecisse id videri possimus, sed ne diutius euagetur oratio, animaduerti aliquando Galenum decimo quarto de vsu partium corporis humani libro, in hunc modũ scripsisse: ἅπασι τοῖς ζώοις ὄργανά τε κυήσεως ἡ φύσις ἔδωκε, καὶ τίνα συνῆψεν αὐτοῖς μὲν τοῖς ὀργάνοις ἐξαίρετον δύναμιν εἰς γένεσιν ἡδονῆς, τῇ χρησομένῃ δ' αὐτῆς ψυχῇ θαυμαστήν τινα, καὶ ἄρρητον ἐπιθυμίαν τῆς χρήσεως, ὑφ' ἧς ἐπεγειρόμενα καὶ κεντριζόμενα κἂν ἄφρονα, κἂν νέα, κἂν ἄλογα παντάπασιν ᾖ, προνοεῖται τῆς τοῦ γένους διαμονῆς, ὥσπερ εἰ καὶ τελέως ἦν σοφά. γινώσκουσα γὰρ ὡς οἶμαι τὴν οὐσίαν, ἐξ ἧς ἐδημιούργησεν αὐτά, μὴ προσιεμένην ἀκριβῆ σοφίαν, ἀντὶ ταύτης ἔδωκεν αὐτοῖς ὃ μόνον ἠδύνατο λαβεῖν δέλεαρ εἰς σωτηρίαν, καὶ φυλακὴν τοῦ γένους ἡδονὴν σφοδροτάτην τῇ χρήσει τῶν μορίων συνάψασα. i. Animãtibus cũctis natura gestãdi vteri organa quędã tribuit, & organis quidem ipsis præcipuam quãdam indidit voluptatis ad procreandum vim; animæ autem, cuius

huius ipſius futurus vſus erat, admirādũ quoddam elargita eſt atq; inenarrabile vtendi his deſyderium, quo impulſa & tanquam ſtimulis acta, etiam ſi imprudentia, iuuenilia ac prorſus bruta fuerint, generis ſemper ſui durationis curam gerunt, perinde quaſi ſumma eſſent ſapiẽtia prædita: etenim (vt ego quidẽ exiſtimo) quũ ſubſtantiam ex qua iſta fabricauit eiuſmodi eſſe cognoſceret, quæ exactam ſapientiam minimè admitteret, pro hac ineſcamẽto ea, quo potuit vno oblectauit, ſeruando cuſtodiẽdoq; generi, voluptate ſcilicet vehementiſſima particularum vſui addita. Hęc apertè indicant in venerem animãtia cuncta agi voluptatis ſtimulis irritata, huncq; haberi coeundi in his finem. Accipe nunc quæ ediuerſo ſcripſerit autor idem, libro de locis affectis ſexto ad hunc modum: καὶ δῆλον ἐναργῶς ἐστὶν οὐ διὰ τὴν ἡδονὴν ἔρχεσθαι τοὺς σώφρονας ἐπὶ συνουσίαν, ἀλλὰ τὴν ὄχλησιν ἰάσασθαι βουλομένους, ὡς εἰ καὶ χωρὶς ἡδονῆς ἐγίγνετο. κατὰ τοῦτο δ᾽ ἡγοῦμαι καὶ τ᾽ ἄλλα ζῶα πρὸς ἀφροδισείων ὁμιλίαν ὁρμᾶν, οὐ δόγμα πεποιημένα τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν ὑπάρχειν, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὴν ἀπόκρισιν, ὡς ἀνιόντος ἐν τῷ κατέχεσθαι τοῦ σπέρματος, ἀφικνούμενα. καθάπερ οἶμαι καὶ τὸ ἀπρπατεῖν, καὶ τὸ οὐρεῖν αὐτοῖς ὑπάρχει φύσει. i. Eſtq; ideo dilucidè manifeſtũ viros temperantes ad coeundum nõ ob voluptatem accedere, ſed remediũ inde ſibi petere moleſtæ vexationis. Ad eundem modum animalia quoq; cætera in venerẽ impelli arbitror, nõ hoc ſibi propoſito dogmate,

te, ꝙ videlicet voluptas bonum ſit, ſed vt ſemẽ
excernant, quippe quod moleſtia afficiat, niſi
remittatur: quo plane modo hæc ipſa leuandę
etiam opinor alui, veſicæq́; deſyderio natura te
nentur. Vides vt hoc in loco coeundi finem
eum ſtatuat, qui partibus etiam alijs communis
ſit nonnullis, nempe innatum expellendi excre
menti deſyderium: voluptatem autẽ amoueat
vel ex profeſſo, cuius ſuperius ſtimulis animan
tum genus omne agitari prope in furias dixe-
rat. Atq; hoc de viris ſapientibus modeſtiſq́; ac
temperantibus non perinde mirum, quorum
ille paulo ante hæc verba, ſexto de loc. affect.
libro ſtatuit exemplum in cynico Diogene, cu
ius etiam hiſtoriam rettulit de meretrice, cui il-
le accerſitæ longioresq́; iam moras trahenti, nũ
tium remiſerit prę fatus, τὴν χεῖρα φθάσαι τὸν ὑμε
ναῖον ἆσαι. Quod in Diogene cynico eiusq́; ſi-
milibus non eſt quod miremur ſi cõtingat: erãt
tunc hodieq́; ſunt, qui cynicos vita, inſtitutis,
ac moribus referant, extra communem omniũ
aleam poſiti, qui vitæ profeſſione diuerſa ſem-
per à nobis dicant & faciãt, ſuperatis etiam po-
tentiſſimis illis naturæ legibus. Hoc vt illis de-
mus, cynicis quibuſdam ac nimiũ ſtoicis, nos
interea quid faciemus? συρφετὸς πολύς, vt dice
bat Plato. Num hoſce ſectabimur, ac naturæ il
las plusq́; adamãtinas leges & clauſtra, quaſiq́;
edicta ſpernemus, admirandis voluptatis tam
blandæ illecebris delibuta? Quod ſi nos tamen
tantum aliquando induere continentiæ pote-

rimus, vt voluptatem non agnoſcamus hanc' idq́ꝫ de nobis polliceamur, nū id ferę poterunt? num bruta? num animalia cætera omnia? quorum vt præclare cecinit Poeta:

Oē adeo genus in terris hominūq́ꝫ, ferarumq́ꝫ,
Et gen⁹ æquoreūq́ꝫ, pecudes, pictæq́ꝫ volucres,
In furias ignemq́ꝫ ruunt, amor omnibus idem.

Atqui hoc ſentire videtur Galenus, tēperantes viros, cæteraq́ꝫ, ab homine opinor, animalia coitum non voluptatis gratia exercere, ſed excrementitiæ tantum ſuperfluitatis extrudendæ cauſa, contra ſui ipſius ipſe aliquando ſententiam, contraq́ꝫ omnium fere hac de re ſcribentium conſenſum, quos vno prope ore videas omnes fateri, voluptatis blanditijs in venerem agi animalia quæq́ꝫ, quod tamen conſeruandis animantium generibus ſtatutum ſit, vtq́ꝫ ea immortalitate quadam hac ſaltem ratione donarentur: quum vt perpetuo durarent indiuidua & æternitatem ſortirentur, fieri minime potuerit. Itaq́ꝫ ſētit, niſi fallor, Plato, Ariſtoteles, Galenus etiam aliquando ipſe, quum tamen interim bruta is affirmet, ad deponendam excremēti huiuſcemodi moleſtiā ad coeundum accedere, nulla ſibi propoſita voluptate. Hancq́ꝫ illius opinionem ex alijs etiam non nemo ſecutus videri poteſt aliqua ex parte, ſicuti Plutarchus ipſe, qui quidem in libello de charitate erga ſobolem de brutis loquens, ſic ſcribat: ἔπειτα μίγνυται τῷ θήλει τὸ ἄρρεν οὐχ ἅπαντα χρόνον. ἡδονὴν γὰρ οὐκ ἔχει τέλος, ἀλλὰ γένεσιν, καὶ τέκνωσιν. i.

Deinde nõ tempore quouis cum fœmina coit mas, quippe voluptatẽ sibi pro fine nõ sumunt, sed procreationem, & generis propagationem.

Huncq́ʒ esse naturalem coeundi appetitum probare videtur argumentis multis, ꝙ nullis ea coacta legibus sponte suscipiendæ soboli operam dent, nec iam Solonis, aut Lycurgi vereantur edicta, quibus cœlibes, aut qui sero` nupsissent pœna mulctabant, non eorũ timeant ignominias, qui orbi liberis essent: non etiam contra`, prẹmia sibi exposcant trium liberorum ius persequentium, quasi infamiæ tantum, ignominiæ´ue metu perterriti, aut præmiorum spe allecti liberos procreare homines studeant: quum contra` bruta vna sibi semper proposita in prolem suam charitate, id faciant, argumẽto etiam ꝙ statis tantum quibusdam anni tẽporibus venerem ea peragant, illamq́ʒ, vt ait Vergilius, certis repetant armenta diebus: quum scilicet aurẹ spirant (vt ita dicam) fœtificæ, & genitale eẹ adferunt semen prolificumq́ʒ. Quo etiam fit, vt postquam grauidas se senserint fœminæ, nõ temere maris præterea admittant consuetudinẽ, sed reliquam omnem curam in prẹgnationis tẽpus transferant, susceptæq́ʒ inde prolis alendæ educandæq́ʒ studium, in quo cum Galeno plane` sentit vna` libro de loc. affect. sexto, ꝙ voluptatem a` veneris fine amoueat, ĩ Brutis: dissentit ꝙ diuersos tamen adhuc rei huiusce fines statuit. Siquidem Galeno in venerem excitentur bruta, vt excrementitiæ superfluitatis sese mo-

lestia liberent, quomodo aluum quoq; exonerant, & vesicam: at Plutarcho procreādi magis placuit studium, qua illa fini ad coeundum duci testatur. Quomodo igitur res tollatur cōtrouersa adeo, fateor non facile mihi videri esse, libuit tamen pauca quædam in medium adferre studiosis, si forte ansam sibi inde arripere quis posset ad diluenda ea. Iamprimum igitur in ea esse reperio sententia autores, qui quidem classici habentur omnes, vt dicant, naturam ipsam quum rationem inire commodam non posset, qua speciei cuiusq; indiuiduis æternitatem largiretur, ob fluxam substantiæ materiam, fecisse eam quod proximum erat, nempe vt perpetuo saltē perduraret species, hacq; nos ratione mortalitati, quoad ei⁹ fieri potuit, exemit, indiditq; nobis hāc ob rem amoris igniculos quosdam, hac saltem via immortalitatis captandæ. Hoc Plato aliquando innuit ideo ipse, hoc Aristoteles aperte indicat, cum alibi, tum libro de generatione animalium secundo, prope in aditu libri. Hoc & Galenus ipse opinatus est, quū quidem ex professo rem tractaret hanc. Porro autem ad generis propagationē cuiusq;, quo vno immortalitas continetur huiusmodi, conseruādam atq; exercendam, cum alia excogitata à natura sunt mira quædam ad id prorsus facientia instrumenta, tum vero instrumētis hisce, ac genitalibus partibus pręcipua quędam atq; admiranda addita voluptatis vis, ac penitus insita, de qua nunc agimus, quo prōptius vehemētiusq;

ad coeundũ ferrentur animalia voluptatis vsq;
adeo illecebrosæ lenocinijs capta, nullam rerũ
harum curam fortassis habitura, nisi res per se
onerosa blãditijs cõdiretur huiusmodi. Quod
quanquam ita habeat, non semper tamen hac
ad id duci fini omnia necesse est. Quod vt luci-
dius declaraui & cognosci manifestius possit,
notentur quæ ab Aristotele dicũtur libro phy
sicæ auscultationis secundo vbi & agens omne
alicuius gratia agere contendit, & eorum quæ
agunt, alia naturaliter agere, ex proposito verò
alia & consilio: & naturalis quidẽ actionis exẽ-
plum præter alia spectari in formicis quoq; po
test, & hirundinibus, alijsq; id genus, quum aut
hæ nidificant, aut illæ grana colligunt. Cuius
sanè rei duplex etiamnum notari ratio potest,
siquidem alius habendus meritò sit formicæ,
verbi gratia, sensus, quum grana primum legit
non antea visa, ipsa etiam tum primum legẽdis
granulis idonea, ad quod naturali tantum duci
tur impulsu quodam atq; ĩstinctu: alius quum
post plures eorum antea collectiones, alia nũc
etiam colligat, in quo præteritorum subsit me-
moria quædam, quam ipsam prudentiam voci
tarunt nonnulli animalem: sic tamen vt nullus
adhuc perceptus hic intelligentia consilioúe
finis existimetur, quum interea tamen finẽ sem
per persequãtur aliquem, tam quæ naturaliter
agunt, q̃ quæ cõsulto: illo tamen inter se discri
mine, q eorum quæ natura agunt, finis nunq̃
non bonus, nõ probandus, quippe quę eo sem-

pertendant intelligentia directa minime aberrante, tanquam qui sagittas manu arcu'ue tentas mittunt: si recte collimentent, doctaq; eas dirigat manus, facile scopum tenent. Contra consilio & intellectu qui agunt, opinione plerunq; decipiuntur sua, a verisq; decidunt bonis, transuersi variarum ambage viarum acti. Quod, vt tam vere, quam eleganter cecinit Poeta ille:
pauci dignoscere possint   Vera bona atq;, illis multum diuersa, relicta   Erroris nebula.

Atq; hæc omnia, quæ de reb⁹ his dicta sunt, verti in rem nostram possunt, ratione (vt mihi quidem videtur) nec incommoda, nec dispari admodum. Ante omnia quũ venereorum primum vsum ineunt animalia quæcunq;, nullo antea voluptatis huiusmodi gustu pcepto, tunc impulsu tantum ad id rapi ea naturæ, recte opinor dixerim⁹, opusq; id expultricis fortassis eẽ facultatis solummodo, hac se ratione excremẽtorum molestia illa exonerare gestiẽtis. Ast vbi concubitus primos iam nota voluptas sollicitat, vt cum Poeta vna canam, eo fieri posse tempore non negauerim, vt bruta voluptatis huiusce titillatione aliqua pellecta in venerem moueantur, sic tamen nullo vt id consilio, intellectu nullo fiat, neq; vlla iam proposita sibi voluptatis quasi boni cuiusdam specie: hoc est, vt Galenus dixit, ου̉ δόγμα πεποιημένα τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν ὑπάρχειν. i. nihil etiamnum opinantia voluptatem bonum esse. Quod quum consilio nullo fieri videret, neq; ex proposito, dixit idẽ,

rei illa moleſtæ depulſionem ex venere quærere, non illa quidem vt voluptatem etiam iſtam non perſentiſcant, ſed quod eam non ex propoſito affectant, vtpote naturaliter tantum agentia, formicæ (vt ſuperius rettulimus) hirundinisq; exemplo, quæ quum nidulantur, aut granula colligunt, etiam ſi finem aſſequantur aliquem, minime tamen id ex propoſito faciunt, nulla neq; deliberatione, neq; conſultatione, ſolaq; ad id natura impulſæ, ĩ quibus nihilominus prudentia quædam eluceat naturalis. Hoc igitur pacto atq; hoc exemplo bruta, niſi fallor, partim ad coeundum accedere dixerimus voluptatem ſecuta, ꝙ præteritorum in his memoria ſit, ac prudentia quædam ſubeſſe appareat, qualem diximus ἐπιθυμητικὴ etiam animę in illa ad id alioqui acta: partim excrementorum potius infeſtantium remittendorum cauſa id facere, ꝙ nullo voluptatis id intellectu, cognitione'ue peragant. Priorem ſententiam in libris de vſu partium corporis humani ſecutus videri poteſt Galenus, vt poſteriorem in libris de locis affectis ſexto, & alioqui, vt autor idem teſtatur decimo quarto de vſu partium corporis humani, voluptatem hanc concupiſcendi vis quędam ſemper præcedit, quaſi œſtro quodã percita, ex humore facta acri quodã, vellicusq; mordicante, qui quum exitum quęrat, ideoq; ſtimulis atq; irritamentis maximis excretionem vrgeat, ſed & ſpiritum multum, calidumq; efflare percupiat, qualem tandem inde voluptatis vim

exuſcitari cēſendum eſt: præſertim ſi partes eæ, (vt certe ſunt) ſenſiles magis fuerint: Quando etiam ſub cute ipſa, collecta acrior humorum vis titillatione, ac pruritu quodam excitāte voloptatem creet dum commouetur: vt non immerito exiſtimari debeamus bruta non tam voluptatem hac in re ſequi, (quanquam & hanc ipſam, quippe quæ humoris huiuſmodi ſtatim comitetur excretionē) quàm ſeminis vim vſque adeo ſeſe exonerare geſtientis, quod illa, vt diximus, natura magis eo ferantur pręcipitia quàm iudicio, ęque fere, ac ī voloptate fit, quam ex cibis capimus, quaquam diuerſa quadam ratione: vbi bruta naturaliter tātum eo ferri videmus, nos autem & voluptatem agnoſcimus, huiusque ipſius diſtinguimus genera etiam quædam quæ ſequamur, quum intemperantius agimus. Nam temperantes vſum fere cibi ſequuntur tantum, non voluptatem: in rei vero venereæ negotio etiā illud accidit interdum, vt naturalis ſolū facultas ſpectetur, ſicuti in pollutionibus nocturnis cōtingit, quas nulla alioqui præcedat voluptatis cognitio. Itidem bruta fere ſemper naturaliter tā tummodo agunt, vt nullam vuluptatis cognitionem ante percipere videantur, ideoque viſa potiſſimum fœmina excitātur, quod ea dum videtur, vrat, vt ille cecinit:

Atque ideo tauros procul, atque in ſola relegant
Paſcua, poſt montem oppoſitum, & trans flumina lata,
Aut intus clauſos ſatura ad præſepia ſeruant.

Cætetum temperantes viros ſapiētesq́, qualis fuit Diogenes cynicus, nihil ſane mirum ſi nulla poteſt voluptatū illecebra talis a propoſito dimouere, de quibus ſic aliquando ſcripſerit Galenus quarto de placitis Hippocratis & Platonis libro: ὅταν δ' ὑπὸ τοῦ λογισμοῦ μόνου πρὸς τὴν τῶν ἡδέων ἄγηται χρῆσιν, ὁ τοιοῦτος σώφρων καλεῖται, σκοπὸν τῆς αἱρέσεως αὐτῶν, οὐ τὴν ἀπόλαυσιν, ἀλλὰ τὴν ὠφέλειαν πεποιημένος. ὥσπέρ γε καὶ ἀκόλαστος ὁ πρὸς τῆς ἐπιθυμίας μόνης ἀγόμενος, ἀκολουθοῦντος αὐτῇ τοῦ λόγου, καθάπερ τινος οἰκέτου. i. At q ratione ſola ad rei iucundę vſum ducitur, temperans is vocatur, qui ſibi in capienda hac nō fruitionem ſed vtilitatem proponat: vt intemperans, ſiue proteruus, qui vna ad id concupiſcentia trahitur, quā ratio ſeruuli cuiuſdā ritu ſequatur. Hoſce igitur viros ex profeſſo voluptatum ſemper omnium fuga delectar, earum quidem, quas illi longe inferioris eſſe notæ experientia partimdidicerūt, partim etiam ratione intellexerunt, q̄ illæ ſint, quarū fructus ratione mentisq́ atq́ intellectus acie defæcatiore continentur, ſuauiſſimi. Quod ex diuinis Platonis de rep. libris, facile abundeq́ colligas, hanc etiam atq́ hoc vitæ inſtitutū ingreſſi, qui ſe philoſophiæ penitus manciparunt, veræ illi ac legitimæ, non ad locum tempusq́ effictæ, neq́ altiſſimo fuco incruſtatæ vulgo ſe eximūt, eiusq́ dicta ac facta pro deſpicatiſſimis habent nō immerito, ipſi plerunq́ immerito deſpicatiſſimi. Hac via iuere Socrates, Plato, Xe-

nocrates, Diogenes etiam ipſe, hac tempeſtate quoq; noſtra nonnulli prorſus Sileni Alcibiadis, quos ipſos recte philoſophorum nomine digneris, ac lõge me hercle rectius, q̃ qui holoſericati obambulant ſcientiæ in primis ſeſe nomine venditantes, eiusq; opinione inflati, atq; etiam adiuti interdũ, quippe cuius illi prætextu ad occultãda ſæpius vitia, moresq; turpiſſimos abutantur. Ergo hos non ſolum non delectat αὐτὴ ἡ τῶν ἡδονῶν φυγὴ, ſed etiam fugientem ipſam arte quauis proſequuntur, mirisq; eam captant modis, ad ſeſeq; alliciunt nullis non blanditijs, atq; allectam fouent, excitantq; torpentẽ ſtimulis inuſitatis, non modo præter ſed etiam cõtra naturale deſyderium inquinatiſſimi. Hoſce igitur ſilentio præteritos nõ eſt q miremur, quorum voluptas non vſu ſed abuſu conſtat, ſimilis rõ ex Galeni ſcriptis eos eliminat, quos Plutarchus diuerſis de cauſis dicat liberis operam dare procreandis. Nam q voluptatem idẽ ille dixerit bruta minime ſequi vt finem, ſed generis propagationẽ, hoc vero hominis eſt opinantis bruta ratione etiam vti. In qua ille hæreſi quum ſit, priuatim dicato rei huic libello etiã alio, eandem hic quoq; ſecutus eſt opinionem, bis vt ad eundem lapidem offenderit, ſiquidem validis in primis argumẽtis exploſa iamdiu ita exiſtimantium ſententia ſit ab eruditiſſimis viris, qui prudentiam brutis concedant naturalẽ tantum, vt diximus, animalem'ue quam vocãt quandam, rationalẽ non concedant. Atq; hæc

tollendæ controuersię ratio est ac via, altius fortasse quàm par fuit repetita. Sed nos præfati iam antea sumus rei huiusce veniam. Restat compendiaria quædam magis, nec minus fortasse congrua, ea autorem habet Aristotelem problematum sectione quarta, quæstione ea qua quęrit, qua de causa res omnium suauissima concubitus sit, & vtrum necessitate impellantur ad concumbendum animantes, an rei cuiuspiam gratia genus hoc libidinis datum sit. Quam sane posteriorem quæstionis partem ita soluit, vt dicat vtrumque verum esse, nam & necessario ad id duci animalia, & rei tamē alicuius etiam gratia factum vt coeant ea, sic tamen vt voluptas vtrobique adsit, ac impelli quidem ad coitum ea, qui necessario suauis sit, propterea quod humor ita spumeus flatuosusque contra naturam inclusus secedat naturaliter, via autem omnis ad rem pertinens naturalem suauis sit, modo percipi sensu queat. hoc est, vt Galenus libro de causis symptomatū primo ex Hippocrate, Platoneque docebat, modo id vehemēter, vbertimque, atque affatim contingat, & vt ille dicebat, ἀθρόως: siquidē ita demum sensu recte percipiantur res, quod quū in rem naturalem tendentibus contingit, voluptas sequitur, vt dolor quum in præter naturā. Estque idem in Platonis philebo positum his verbis: αἱ μὲν μεγάλαι μεταβολαὶ λύπας τε καὶ ὀδύνας ποιοῦσιν ἡμῖν, αἱ δ᾽ αὖ μέτριαί τε καὶ σμικραὶ τὸ παράπαν οὐδέτερα τούτων. hoc est, Mutationes insignes dolorum nobis, voluptatumque causa

ſunt, cõtra mitiores tenuesq́ neutrum prorſus horum efficiunt. Ergo quum voluptas hæc in ſeminis remiſſione neceſſaria conſiſtat excrementitij, ad quod non admodum ſane diuerſo ferantur animantes modo, q̃ quo alui veſicæq́ excremẽta reiectant, hac quidem ratione natura hoc ineſſe brutis dixerimus, vt noxiũ extrudant humorem huiuſmodi, cum Galeno vna libro de locis affectis ſexto, neq́ non tamen voluptatem ẽt agnoſcit Ariſtoteles eodem in loco à natura datã, quo vehementius libentiusq́ veneris exercerent munia animãtes, tuendi perpetuo generis cauſa, quod idem decimo quarto de vſu partium corporis humani libro Galenus fateatur. Sic fit vt vtrobiq́, neq́ à veritate, neq́ à magnis autoribus aliena tradidiſſe videri merito Galenus poſſit. Verba porrò Ariſtotelis ſubdidimꝰ, facile vt patere vnicuiq́ poſſint: ἐστὶ δὲ καὶ ἐξ ἀνάγκης ἡδὺ, καὶ ἕνεκα τινος. ἐξ ἀνάγκης μεν, ὅτι ἡ εἰς τὸ κατὰ φύσιν ὁδὸς, ἡδὺς ἐστὶν, ἐὰν ᾖ αἰσθητή. ἕνεκα δὲ τινὸς, ἵνα γένεσις ᾖ ζώων. διὰ γὰρ την ἡδονὴν μᾶλλον ὁρμᾷ πρὸς την μίξιν τὰ ζῶα. i. Eſt autem tum neceſſario, tum rei alicuius gratia ſuauis coitus. Et neceſſario quidẽ, ꝙ via ad naturam tendẽs ſuauis omnis ſit, ſiquidem ſenſu percipiatur. Rei autem cuiuſpiã gratia, vt animãtium conſtet generatio, ꝙ voluptate ad coeundum vehemẽtius ferant animalia.

In Morbi deffinitionem quomodo temporis cadere ratio poſſit,

Enantioma VIII.

ERant Galeni tempeſtate, qui quum idem eſſe morbum ac pathos cenſerent, pathos ita finirent: πάθος ἐςὶ τροπὴ τοῦ σώματος ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν, εἰς τὸ παρὰ φύσιν ἐπίμονος. hoc eſt, Pathos corporis eſt trãſmutatio permanens ex naturali in præter naturalem rem. Quam ſane Galenus diffinitionem in libro therapeutices methodi primo, prius eo nomine damnat, ꝙ nõ addiderit id quod additũ in primis oportuit, functionis ſcilicet læſionẽ: deinde ꝙ ſuper uacaneũ ẽt adiecerit verbũ ἐπίμονος. i. ꝑmanens Sic enim ait, interpoſitis poſt ſuperius tranſcripta verba verſibus aliquot: αὖθις δ᾽ ὥσπερ ἐκεῖνοι τὸ ἐπίμονον προστιθέασιν, οὐ δηλοῦντες ἄχρι ποσῶν ὡρῶν ἡ παρὰ φύσιν αὕτη διάθεσις παραμείνασα νόσος ἐςὶν, οὕτως ἡμῖν συγχωρήτωσαν ἀφαιρεῖν τὸ ἐπίμονον. Et paulo poſt: μόνης γὰρ τῆς τοῦ πράγματος φύσεως, οὐ τῆς τοῦ χρόνου ποσότητος ὑπάρχει δηλωτικὰ τὰ τοιαῦτα τῶν ὀνομάτων, ὥσπερ οἶμαι καὶ λευκὸν, καὶ μέλαν, καὶ θερμὸν, καὶ ψυχρὸν. i. rurſus quemadmodũ illi verbum Permanens, addunt, neq; declarant quot horarum ſpatio præter naturalis affectus ille permanẽs morbus ſit, ita nobis concedant, vt verbum Permanẽs, tollamus. Et deinceps: Etenim ſolam rei naturam, non autem temporis indicant quantitatẽ huiuſmodi nomina, quo plane modo album etiam opinor, & nigrũ, & calidum, & frigidũ. Id quoq; planius deinde facit, declaratiõe aper-

tiſſima,ſic vt permanentiam illam ex morbi fi-
nitione penitus ſubtrahat,quo rurſus(vt videri
alicui poſſit) quaſi neglecto verbum ἐπίμονον ſi-
ue μόνιμον,quod idem ſit,in deſcriptionem eam
recipit, primo de locis affectis libro his ver-
bis: κινήσεως δ᾽ οὔσης κατὰ γένος διττῆς, ἀλλοιώ-
σεώς τε καὶ φορᾶς, ὅταν εἰς μόνιμον ἀφίκηται διάθε-
σιν ἡ ἀλλοίωσις,ὀνομάζεται νόσημα,παρὰ φύσιν οὖ-
σα δηλονότι διάθεσις. καταχρώμενοι δὲ ἐνίοτε καὶ
τὴν τοιαύτην διάθεσιν ὀνομάζουσι πάθος.i. Porro
quum duplex habeatur motionis genus,altera-
tio & latio, quum alteratio ad affectum perue-
nerit ſtabilem ſiue permanētem,morbus id vo-
catur,qui quidem præter naturalis affectus ſit,
quem plane affectum abuſu interdum quodā
etiam pathos appellent. Quinimo,quod ma
gis fortaſſe mirere,eodem hoc in libro haud ita
multo ante relata iam verba non ſemel eos dā-
nat, qui tunc tantum affici partem aliquam cre
debant, quum affectu corriperetur permanen-
te ac ſtabili, vt hic quoq; tēporis reijcere ratio-
nem videatur. Sed vt res facilius tollatur cōtro
uerſa, paulo conſyderatius animaduertenda
ſunt,quæ in primo de loc. affect. libro dicūtur:
ſic enim eo in loco diſputat, vt alia pati dicat,
alia agere: & pati quidem quæ motum ex alio
ſortiuntur,ſicuti agere quæ ex ſeipſis. Rectiſſi-
ma igitur vocabuli Pathos, ſignificatio ijs aſſi-
gnatur,quæ ab alio mouentur,ſicuti actio quæ
alia mouent: qui dum peragitur motus,pati di-
cuntur res atq; affici, quū vtrunq; idem in vni-

uersum sit. Distet autẽ pathos siue pathema ab affectu, quod dum transmutantur res mouenturq́ꝫ, atq́ꝫ (vt ita dicam) alterantur, pathos consistat, siue pathema: at quum motus iam cessarit ipse, in perpesso iam corpore quæ restat alteratio, affectus est, corpusq́ꝫ id affectum iam meritissimo dicetur, quum prius pateretur atq́ꝫ afficeretur: quæ clarius omnia apertiusq́ꝫ edisseruntur in libro de differentijs symptomatũ. Ergo post absolutum alterantis transmutãtisq́ꝫ rei motum, qui restat affectus, μένων & σωζόμενος, morbus est, modo factus in præter naturam vsq́ꝫ adeo sit, vt actiones inde lædantur: quę propria sit & legitima quædam morbi ipsius nomenclatura. Nam quum huiusmodi affectum pathos nũcupant, per abusionem nuncupant, quod id dum transmutationis peragetur motus, rectius (vti diximus) intelligatur. Porro affectus ille à Galeno in libro de differentijs symptomatum, μένων & σωζόμενος dicitur, & ἀλλοίωσις ὑπομένουσα, & μένουσα διάθεσις: quæ nomina non sanè diuersam admodum rem significant, quàm μόνιμος, quo vtitur in primo de loc. affect. vt permanentem ibi affectum, pro permanente alteratione accipiamus, quæ postquam id quod alterat cessarit, in affecto ita corpore restat: vt in libro de differentijs symptomatum: παυσαμένου γὰρ τοῦ ἀλλοιοῦντος, ἡ περὶ τὸ παθὸν ἀλλοίωσις ὑπομένουσα διάθεσις, διάθεσίς ἐστι τοῦ παθόντος. Quod si ita interpretari vocabulũ μόνιμον licet, (vt certè licet) quum ipse se ferè explicet Galenus, lõ-

ge alia ratione μόνιμον in libro de loc. affect. & ἐπίμονον in therapeuticis accipiemus, tametsi vtrunq; permanentiæ recte nomine significes. In libro enim de locis affectis permanens affectus nihil aliud est, quàm id quod absoluto statim perfectoq; motu atq; alteratione reliquum est, atq;, vt verbo exprimam, manet restatq;. Qui sane affectus si vel tantillum temporis perduret, μόνιμος. i. permanẽs, siue manens recte dicetur, quod post alterationis motũ subsistat cessetq;: quo fere nomine rem quæ finem attigerit, significamus, æq; ac quum dealbatum parietem, aut excalfactam aquam intellectu percipimus, nulla temporis quantitatis consyderatione horũ scilicet tantum adfectionem, nihil præterea animaduertentes. At in libro therapeutices primo vocabulo ἐπίμονον. i. permanens temporis semper spatium notabant, qui ita pathos, siue morbum finiebãt, quippe quod nõnulli eorũ δύσλυτον id, hoc est, difficile solubilem interpretarentur, quos hac quidem ratione meritissimo reprehẽdat Galenus. Neq; vero in eo nunc disputo, nihil omnino esse ĩ morbis temporis, quum tempore hi quoq; aliquo contineantur, necesse sit, sed quod temporis cõcludantur spatio aliquo, aut cogitatione, quod illi opinabãtur, id vero pernegamus, quod res eæ, vt Galenus dicebat, nullum temporis notent quantitatem, vt album, vt calidum, vt alia id genus, quæ rei potius qualitate quadam cõtinentur, ne Galeni fortasse verbis falsus rapiaris, libro de differẽtijs symptomatũ.

τὸ μὲν ἐν τῷ γίγνεσθαι τὸ εἶναι κεκτημένον, ἐνέργειαν ἢ πάθος ὠνομάσαμεν. τό δ' ἐν τῷ διαμένειν ἐπί τινα χρόνον, ὑγείαν, ἢ νόσον. hoc eſt, Id quidem quod dum fit eſſentiam ſortitur ſuam, actionem aut pathos nominauimus: at quod tempore manet aliquo, ſanitatem, aut morbū. Idem enim qđ ſuperius dixerat repetit nūc, factum ſcilicet abſolutumq́ affectū, ſanitatem, morbum'ue eſſe, qui vt tempore maneat aliquo, temporis tamē cogitatione aut ſpatio clauditur nullo, vt ij arbitrabantur quos in therapeuticis Galenus inſcitiæ condemnat. Atq; ad hunc modum cauſam continentem ex Galeni placitis non elimi nabimus, quod recentiorum nonnulli faciunt, quibus mirum viſum fuit, ac fieri nequaquam poſſe credūt, vt affectus alicuius, qui modo permanens ſit, cauſa vlla cōtinens ſit. Sic enim hac in re ratiocinantur: Cauſa continens eſt, quæ quum pręſens ſit, eius quoq; effectus adeſt, quū vero deſinit, etiam effectus euaneſcit: morbus autem, eius etiam cauſa ſublata manere poteſt. Hæc igitur eius non eſt cauſa continens, à qua ſic pendeat ſcilicet, vt ſine ea manere haud poſſit. Sed non vident hi permanentiam eam Galeno haud quaquam temporis circunſcriptionem aliquam ſignificare aut durationem, ſed operis potius cuiuſdā perfectā quaſi abſolutionē, quum ſecūdū pathos iam eſſe deſijt, factūq; morbus fuerit, hoc eſt, quum eo iam vētum ſit, vt affectus talis euaſerit, qui lædere actiones poſſit, quo quum peruenerit, quieſcere iam à

motu illo dicitur, ob quem pathematis nomi-ne appellabatur, ideoq; permanens sit, etiam si non perduret, vt facile appareat morbum ali-quem inueniri posse, qui causa abeunte statim ipse quoq; necessario cesset: (quod illi absurdũ putabant,) quemadmodum in vesicæ calculo fit, qui si meatum illũ occuparit, continuo mor bum quoq; effecerit, nempe obstructionẽ, quæ morbus dubio procul sit & quidem permanẽs. hoc est, iam factus, etiam si intra semihoræ, aut eo etiam breuius temporis spatium aliquando morbus esse desinat, nempe amoto calculo cau sa illius continente, quam si ponas, morbum quoq; continuo facias: si amoliaris, illum vna quoq; quamprimum dimoueas. Neq; tamen hoc causarum genus, vbiq; ac passim quæren-dum, quando nec primitiuæ semper, sed nec an tecedentes interdum adsint, quum tamen cau-sa semper affectu præcedat aliqua. Porro causa huiusmodi continens inter antecedẽtes nume-ratur, quo fit vt non vbiq; Galenus huius me-minerit. Error autem sit, nisi fallor, censere Ga-lenum existimasse causam febris continentem putredinem esse, siquidem non statim amota putredine amoueatur etiam febris, quæ genui-na erat causæ id generis proprietas. Nam quo-ties putredinem amolimur, id nequaquã certe factæ iam febris causa facimus, ratione alia tol-lendæ, sed ne noua potius fiat præcauentes. At non itidem in calculo, verbi gratia, vesicę, nihil enim eo casu ne fiat prohibemus, eo ꝙ iam per-

acta obstructio sit, quam quidem prestare calcu lus ille possit, sed vna atque eadem opera cū causę abscissione dimouemus affectum, vt illud perpetuo verum sit, morbis iam existentibus curationem semper vere deberi, illo tantum discrimine, quod in alterius generis causa affectum tantum tollimus, causam, quæ nulla est, facti quidē iam affectus non tollimus, vt quæ iam abierit. At in continente causa, morbum iam peractū auferimus vna cum causæ amotione, nec gemi nata tamen propterea intentio fuerit, affectum enim solummodo amolimur, quæ curatio est, nihil autem ne fiat prohibemus: quod tunc fieret si in nouæ obstructionis timore, aut calculū ne eo ferretur alium caueremus, aut humores alioqui viscidos, qui obturare meatum illum possent, alio auocaremus, aut aliquo pacto dissiparemus. Habebit itaque febris putredinē absque medio quidem causam, quam immediatam vo cant, vt inter quam ac febrem, nihil sit rei, sed non continentem: neque enim sicuti diximus, vbique requirere debemus hāc. In morbis tamē aliquibus hanc inesse sæpe videas, vt in obstructionibus, quippe quas continens semper causa faciat, siue ea plenitudo fuerit humorum, siue glutinositas siue calculus, siue aliud tale quod quo meatus obducēte vna sequatur obstructio amoueaturque deducto. Proinde inter alterius generis causam, ac febrem dimouendam, plerunque non conuenit. Non enim quodcunque febrem tollit, putredinem quoque sustulent: sicuti

ſane` ediuerſo quoq; non perpetuo putredinis remedia, febris etiam remedia habentur. Quin potius quod alterum imminuit auxerit alterũ, idq; primo, ac per ſe. Sicca nanq; quę putredini inimicãtur, febrem per ſe faciunt: humida quæ febri aduerſantur, putredinem fouent, non ſecundario. At diuerſa prorſus ratione in obſtructionibus fit, vbi non temere quicquam inuenias, quod morbum, ac non vna morbi quoq; cauſam tollat, primo quidem, ac per ſe. Nam ex accidenti fieri aliquando poſſe non ignoro, vti deopilantia medicamẽta diſſectos ita in corpore humores, ſi qui ſunt vna ſecum rapiant, atq; obſtructionem adaugeant. Quod fieri interdũ conſueſſe vel Galenus ipſe teſtatur octauo therapeutices libro, verum id ſecundario, vti diximus, atq; ex accidenti fuerit. Quando non ſemper ita vſu veniat, in humorum ſcilicet talium in corpore defectu, prorſus quum inſunt accidat, vt ita ferantur. Atq; hæc fuerit inter cauſas morborum continentes, & alias differentia, ſic breuiter a` nobis, quantum res ipſa ferebat, explicata.

Acutis morbis finiendis autores alios febrẽ adhibuiſſe, alios omiſiſſe, tum qua ratione attonitus morbus modo cum acutis, modo cũ diuturnis cenſeatur,

Enantioma IX.

Ὀξὺ Græci nunc acutum appellant, ſicuti quum dicũt ὀξέα χαλκῷ: nunc vehemẽs,

periculoſumq́ue, ac velox, ſicuti quum ὀξὺν ἄρκα dicūt. Quæ poſterior vocabuli ſignificatio trāſlatitia videri poſſit ex priori, quod quæ vehemētia velociaq́ue ſunt, ea citiſſime vt acuta opus peragant. Non diſſimili exemplo ὀξεῖς Græci appellant morbos vehementes illos, breuemq́ue durationis terminum ſortitos, ſed cum diſcrimine, quos latini maluere acutos reddere, quam aut vehementes, aut veloces, aut periculoſos: qui tamen vehementes, periculoſiq́ue habeantur, quum aliter intelligi acutus morbus non poſſit. ὀξὺ γὰρ δὴ, inquit Galenus ſecundo de diebus decretorijs libro ex Archigenis ſententia, τοῦτ' εἶναι φησὶν, ᾧ ἂν ᾖ διὰ ταχέων κινδυνῶδες. i. acutum enim id eſſe dicit, in quo cum periculo velocitas notatur. Morbos igitur huiuſcemodi Galenus aliquando ita finiſſe viſus eſt, vt intelligi ſine febre minime poſſint, quemadmodum quum tertio cōmentariorum in Hippocratis prædictiones libro ita ſcribit: οὔσης καὶ ἄλλης οὐ σμικρᾶς ἀπορίας κατὰ τὸ πρᾶγμα. τὸ γὰρ ὀξὺ νόσημα μετὰ μεγέθους τινὸς νοεῖται, καὶ συνεχείας πυρετοῦ. τὸ γάρ τοι μὴ τοιοῦτον, εἴ γε καὶ περὶ τὴν, ιδ. ἡμέραν, ἢ καὶ θᾶττον λυθείη, τῆς αὐτῆς προσηγορίας οὐκ ἀξιοῦμεν. i. Quum alia præterea ſuboriatur in re hac addubitatio nō parua. Etenim acutus morbus magnitudine quadam intelligitur, & febris aſſiduitate, quum quod minime tale repertum fuerit, etiam ſi diebus finiat quattuordecim, aut his etiam citius, eodē non cenſeatur vocabulo. At alibi non ſemel inter acutorum numerū

morbum admittit attonitum, vt quum aphorismum exponeret illum, secundi secti. Acutorũ morborum non omnino certe. sic inquiens: καὶ οἵγε πυρετοὶ τοὐπίπαν οἷον συνεχεῖς εἰσὶν ἐν τοῖς ὀξέσι νοσήμασι, σπάνια γὰρ τὰ χωρὶς πυρετῶν, ὁποῖά ἐστι καὶ ἡ ἀποπληξία. i. Ac in morbis acutis magna ex parte fit, vt continuę fere febres sint: nã pauci sine febre visuntur, quod genus morbus quoq; attonitus est. Et rursus primo prognost. libro in verborũ illorum enarratione, εὔπνοιαν δὲ χρὴ νομίζειν κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν εἰς σωτηρίην. hoc est, Spirandi facilitas magnum habere ad salutem momentum existimãda est. quum ita dicit: τὸ μὲν οὖν σὺν πυρετοῖς προσθεὶς ἵνα χωρίσῃ ταῦτα σπασμοῦ, καὶ τετάνου, καὶ χολέρας ὅσα τ᾽ ἄλλα χωρὶς πυρετῶν ἐστιν ὀξέα. i. Ac verba quidem addita illa, quibus febris adsit, vt à conuulsione morbos hos distingueret, & tetano, & cholera, alijsq; præterea morbis, quicunq; citra febrem acuti sunt. Dicerem nõ haberi pro absurdo debere hoc, nec pugnare, si quis quæ plurimum eueniunt, de ijs in vniuersum aliquãdo pronuntiet. Quo sane exemplo Galenus acutos morbos febrem insequi cõtinuam dixerit, ꝙ non temere multi, vt idem dicebat, reperiantur, qui absq; febre infestent, nisi ab hac me excusatione reuocarent verba ea.

Etenim acutus morbus magnitudine quadã intelligitur, & febris assiduitate, quũ quod minime tale repertum fuerit, etiã si diebus finiat quattuordecim, aut his etiam citius, eodem nõ

censeatur vocabulo. Qui enim ita dicit priuatim, atque adeo nominatim ex acutorum numero morbos reijcit eos, neque prorsus pro his habet, quicunque citra febrem tandē infestent, quo fit vt veriꝰ mihi illud esse videatur, quod ipsius alioqui Galeni autoritate confirmetur, pro autorum videlicet diuersitate, quorum diuersis in locis diuersas secutus fuerit opiniones id contigisse. Nam quum in acutorum catalogum apoplexiam recipit, tetanumque, atque alios id genus, qui sine febre sunt morbos, magna certe ex parte in hoc Archigenis placitis adhæsit: quum vero morbos esse acutos illos tantum dicit, in quibus cum febre vna, & ea continua conflictātur ægroti, Hippocratis sequitur sententiam. Verba porro Galeni ipsius, vnde hoc quod diximus, apertissime colligas, in calce librorum de diebus decretorijs ita habēt: τοῦ γὰρ ὀξέος νοσήματος, ὡς ὁ μὲν ἀρχιγένης ὑπεγράφετο τοῦ διὰ συντόμων κινδυνώδους, ὡς δ' ἱπποκράτους ἔλεγε. τοῦ μετὰ πυρετοῦ συνεχοῦς γιγνομένου, συμβεβηκὸς ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ τὸ ταχέως κρίνεσθαι. κατὰ μὲν γὰρ τὸ τῆς κινήσεως εἶδος ὀξὺ προσηγόρευται. hoc est, nam quum morbi acuti, quemadmodum quidem Archigenes deliniabat ipse sint, qui periculum breui temporis mora afferunt: vt autem Hippocrates dicebat, qui febre non destituuntur, inde accidat necesse vt cito quoque iudicentur: acutum enim ob motionis modum vocatum ita ex argumento est. Ergo sicubi Galenum inuenias acutum morbum sine febre de-

ſcripſiſſe aliqua, Archigenis eũ fauiſſe opinio-
ni dicas licet ſicuti Hippocratis, quum non ſi-
ne febre. Quod tamen hactenus tãtum verum
eſſe intelligas, vt aperte quidem, & clara, quod
dicitur, voce nuſquam fortaſſis expreſſerit, hoc
ipſum Hippocrates: nã tacitus certe aliquando
ſubinnuiſſe videri poſſit ĩter acutos, eos quoq;
cenſeri, qui abſq; febre infeſtent, nimirum quũ
in prognoſt. libro ſic ait: εὔπνοιαν δὲ χρὴ νομίζειν
κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν εἰς σωτηρίαν ἐν ἅπα-
σι τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασιν, ὁκόσα ξὺν πυρετοῖσιν
ἐστὶ, καὶ ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι κρίνεται. i. Spirã-
di autem facilitas permagnum habere ad ſalutẽ
momentum exiſtimanda eſt, in morbis acutis
omnibus, quicũq; cum febre fiunt, diebuſq; iu-
dicantur quadraginta. In morbis ait acutis
omnibus, qui cum febre vna fiunt, ꝙ argumen
to ſit, acutos aliquos reperiri ſine febre quoq;
poſſe morbos. Nec iam aliter ſentit, dum verba
enarrat hæc Galenus, qui iccirco verba illa ad-
dita ab Hippocrate fuiſſe dicat, quo morbi in-
de interſtinguerentur acuti quidem, ſed ſine fe-
bre, quod genus cõuulſio ſit, & tetanus, & cho-
lera, & huiuſmodi alia: niſi ſi id quoq; dixeri-
mus, eodem modo dixiſſe Hippocratem hic:
ὁκόσα ξὺν πυρετοῖσιν ἐστὶ. atq; quum dixit: σφόν-
δυλοι οἱ κατὰ ῥάχιν, hoc eſt, vertebræ, quæ in ſpi-
na ſunt. quum nuſquam tamen ꝗ; in ſpina ali-
bi reperiantur vertebræ, vt non diſſimili ratio-
ne dictum ab eo ſit: Spirãdi facilitatem perma
gnum habere ad ſalutem momẽtum in morbis

acutis omnibus, quicunq; cum febre fiunt, quũ tamen interim omnes cum febre fiant. Sic quidem Galenus aliquando defendit Hippocratẽ, vt sectionis quarto aphorismorũ. xliiij. & item eiusdem, quinquagesimo. Quamobrẽ aut hoc quo diximus modo diluenda cõtrouersia hæc, aut illud addendum vt Galenũ quoq; vna tueamur, Hippocratem scilicet, magna quidem ex parte cũ febre acutos definisse, at non ita tamen vt non aliquando hosce etiam sine febre agnoscat. Quum enim in primo statim de ratio. vic. in mor. acutis lib. recensuisset acutorũ morborum aliquot catalogum, sic deinde ait: ὧν οἱ πυρετοὶ τὸ ἐπίπαν ξυνεχέες ὄντες κτείνουσιν. i. in quibus febres magna ex parte continuæ quũ sint, interimunt. Sic enim τὸ ἐπίπαν interpretor, autorum magnorum exemplo. Siquidẽ magnus autor Theodorus Gaza, qui locum libri de historia animaliũ octaui, sic græce habentem, αὖ ἐλέφας ἐσθίει πλεῖσον μὲν μεδίμνους μακεδονικοὺς ἐννέα, ἐπὶ μιᾶς ἐδωδῆς. ἐπικίνδυνον δὲ τὸ τοσοῦτον πλῆθος. τὸ δ᾽ ἐπίπαν ἓξ μεδίμνους, ἢ ἑπτὰ. in hunc modum vertit, Elephãtus eodem pastu modios macedonicos nouẽ quod plurimum, edere potest, sed tantum dare periculosum est: sex aut septem dedisse modios, in vsu frequenti satis est. vt ἐπίπαν illi, frequenter, significet, nõ assidue. Nullus autem locupletior significati huius esse testis debet, ꝙ Galenus ipse, præsertim hac in re, cui ipsi in principio libri tertij, de causis pulsuum, verbum ἐπίπαν, nec omnino vt vulgus

interpretatur, nec perpetuum quicquam notari, sed maiori quidem ex parte. At sic, secus vt aliquãdo tamen accidere possit, alioqui Galeni certè vox est libro, vt diximus, de diebus decretorijs tertio, acutos morbos eos ĩtellexisse Hippocratem, quos continua præterea sequatur febris. Sed ista iam omittamus, & illud potius qđ addendum huic loco sit, notemus. Hanc enim eandem apoplexiam, quam superius inter acutos morbos recẽsuit, alibi nominatimq́; sectione aphorismorum sexta χρόνιον, hoc est, diuturnum esse dixit morbum, dum aphorismum exponeret: Quibuscunq; venæ sectio, aut purgatio cum medicamento conuenit, his verbis: κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον αἵματος πτύσιν, ἐπιληψίαν μελαγχολίαν, ἀποπληξίαν, καὶ ἄλλα τοιαῦτα χρόνια πάθη διὰ τῆς εἰρημένης κενώσεως ἐπὶ πολλῶν ἀνθρώπων ἐπαύσαμεν. i. Eodemq́; modo sanguinis expuitionem, comitialem morbum, atram bilem, atq; apoplexiam, aliosq́; id genus diuturnos affectus, in compluribus euacuatione iam dicta persanauimus. Cuius rei explicat sese attentius antedicta examinanti. solutio. Dicas enim statim licet attonitum morbum sine apoplexiam, inter acutos pariter ac diuturnos connumerari morbos posse, sed à diuersis: & inter acutos quidem si Archigenẽ sequamur, quod Galenus facit quoties acutos morbos periculo tantum, breuitateq́; circumscribit, cuiusmodi est attonitus: & rursus inter diuturnos, siue longos malis, idq́; ex Hippocratis sentẽtia, qui quũ

inter acutos attonitũ morbum rarenter admittat, ſiquidem illos in primis morbos huiuſmodi eſſe dicat, in quibus febris præterea vrgeat aſſidua, reliquum eſt vt cum diuturnis eũ numeret, quippe quem cauſa procreet frigidior quædam, atq; glutinoſa magna ex parte, & craſſior, breuiterq; pituitoſa: quale fere cauſę gen⁹ morbos progenerare conſueuit diuturnos illos, ac perdurantes. Quod Galenus quoq; ſecutus videri poſſit, quum longum morbum hunc eſſe pronuntiauit. Cauſam dico, Galenus quũ morbi inſpiceret huiuſce, quæ ipſa longorum ſemper morborum cauſa ſit, nempe pituitoſam, cui concoqnendæ, locoq;(vt ita dicam) dimouẽdę, bene magnũ temporis ſpatium requiratur, autore eodem vbiq; ita aſſeuerante, nõ abs re morbum dixit diuturnum, at quum morbi magnitudinem ipſius, ac veluti ferociam quãdam, acceſſionemq; exiguo temporis curriculo perdurantem cõſideraret, ὀξὺν, hoc eſt, acutum appellauit, velocem ſcilicet & periculoſum, vt Archigenes dicebat. Facit porro non parum affectæ quoq; particulæ principat⁹, ac nobilitas, vt acutus appellari morbus is poſſit ac debeat, vt in quo cerebrum afficiantur ipſum, quod non temere diutius nocumentum aliquod inſigne patiatur, quin vitæ ſtatim periculũ adferat, vt nõ immerito hac quidem ratione dici affectus, quibus inſigniter læditur, acuti poſſint, etiamſi frigida alioqui, pituitoſaq; illorum in cauſa materia ſit, cuius rurſus (vti diximus) reſpectu diutur

nus ſit voceturq́ affectus. In hanc ſanè ſententiam eadē aphoriſmorū ſectione haud ita multo poſt aphoriſmum ſuperiorem ita ſcribebat Galenus, in aphoriſmi explicatione illius: Quibuſcunq; ſanis de repente dolores. γίνεται δὲ τοῦτο ποτὲ μεν τρισὶν ἢ τετράσιν ἡμέραις, ποτὲ δὲ καὶ πλείοσιν, οὐ μὴν ἐξωτέρω γε τῶν ἑπτὰ, διότι κύριον τὸ μέρος. οὐκ ἀνέχεται δὲ τὰ τοιαῦτα μόρια χρονίων τε ἅμα καὶ ἰσχυρῶν διαθέσεων, ὡς ἐπιδέδεικται πολλάκις. i. Accidit autem hoc dierum interdum ſpatio trium, quattuor'ue, interdum vero plurium, ſic tamen vt ſeptimum nunquam egrediantur diem, propterea ꝙ præcipua pars ea ſit. Partes autem huiuſcemodi minime ferūt diuturnos ſimul ac vehementes affectus, quemadmodum ſæpenumero oſtēdimus. Vtrūq; hoc loco apoplexiæ tribuit, (nam de hac illi ſermo nunc) vt & vehemens ſit, eademq́ ratione periculoſa, atq; intra ſeptimum ſemper diem finiat: cuius ſanè ſpatij terminos quum pręterit, iam non amplius apoplexia fuerit, quippe quæ in aliud morbi genus degeneret, vt in neruorū ferè reſolutionem, ſiue paralyſim. Apoplexia autem, quæ quidem apoplexia ſit, & vehemens periculoſaq́ eſt, & diei ſemper, ſummum, ſeptimi fine clauditur: quo planè nomine non ſolū acutus morbus, ſed etiam peracutus, hoc eſt, κατοξὺ νόσημα, dicenda ſit, quum nihilominus eodem propè verſu etiam diuturnum eam vocarit affectum, nimirum ꝙ in aliud morbi genus degeneret, atq; ob pituitoſam, quę illam faciat,

materiam, ſecus atq; in alijs acutis morbis ſpe-
ctatur, quos febres comitantur continuæ ipſæ.
Hos enim bilioſa plurimum materia concitat,
ſiue ea locum occupet principalē corporis, ali-
quem, ſiue per totū diſperſa corpus, inq; venas
tranſfuſa omnes, æſtuantiſſimo potius feruore
quodam altius adacta, exiguo temporis curricu
lo in dubium hominis vitam reuocet, hoc eſt
morbum progeneret acutum.

De altero gonorrhœæ diſcrimine, quo pa-
cto id nunc conuulſionis, nunc gonorrhœæ
vocabulo ſignificetur,

Enantioma X.

GOnorrhœam Galenus libro de locis affe-
ctis ſexto ita finit: ἡ μὲν οὖν γονόῤῥοια σπέρ-
ματος ἀπόκρισις ἐστὶν ἀκούσιος. ἔξεστι δὲ καὶ ἀπροαί-
ρετον ὀνομάζειν, ὥσπερ καὶ σαφέστερον ἀπόκρισιν
σπέρματος συνεχῶς γιγνομένην, χωρὶς τῆς κατὰ τὸ
αἰδοῖον ἐντάσεως. i. Ac gonorrhœa quidem ſemi
nis eſt excretio, quæ nolenti contingit, quam
eandem inuoluntariam appelles, aut etiam pla-
nius, ſeminis excrementum aſſiduum citra co-
lis diſtentionem. de qua tamen quum tertio
de cauſis ſymptomatū libro diſputaret, ita ſcri-
bit: καὶ μὴν καὶ αἱ γονόῤῥοιαι, χωρὶς μὲν τοῦ συντεί-
νεσθαι τὸ αἰδοῖον, ἀῤῥωστία τῆς καθεκτικῆς δυνάμε-
ως τῆς ἐν τοῖς σπερματικοῖς ἀγγείοις. ἐντεινομένου
δὲ πως οἷον σπασμῷ τινὶ παραπλήσιον παθόντων

ἀποτελοῦνται. i. Et quidem gonorrhœæ, quæ quidem absq; eo ꝙ distendatur penis fiunt, ex contentricis seminariorum vasorum facultatis imbecillitate proueniũt. at quum is aliquo modo distenditur, ꝙ simile quippiam conuulsioni patiantur, consistunt. Prius gonorrhœam sine penis distentione describit, at quum eam diuidit, aliquum esse in qua is tendatur, ponit: quod & secundo de causis symptomatum his verbis testatur: ὥσπερ γε καὶ τῆς γονοῤῥοίας ἡ ἑτέρα διαφορὰ, εἰ μὲν γὰρ μετὰ ἐντάσεως τοῦ αἰδοίου γένοιτο, οἷον σπασμός ἐστίν. εἰ δὲ χωρὶς ταύτης, ἀῤῥωστία τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως. i. Quomodo etiam alterum gonorrhœæ discrimen, nam si cum penis distentione fiat, veluti conuulsio quædam est: sine hac autem quum fit, contentricis facultatis imbecillitas in causa est. Auget difficultatem hanc, ꝙ haud multo post relata superius verba sexto de locis affectis libri, quum præter naturales excretiones partim ob contentricis virtutis imbecillitatem fieri dixisset, partim ob affectum aliquem in modum expultricis facultatis partes irritantem ipsas, seu membra, sicuti seminarijs vasis contingit in comitiali morbo, aut alijs vehementioribus conuulsionibus, manifestumq; esse affirmasset reliquis etiam corporis partibus euenire, vt interdum cum toto vna corpore, interdum sola conuulsione corripiantur, sic deinde inquit: οὐδὲν οὖν ἐστὶν ἄλογον, ἐν τοῖς σπερματικοῖς ἀγγείοις ποτὲ μόνοις γίγνεσθαι τοιαύτην διάθεσιν, ὥσπερ γε καὶ τὴν τῆς γονοῤῥοίας,

ἀνάλογον οὔρων ἐκκρίσεσιν ἀχουσίοις, ὅταν ἡ κατέχουσα δύναμις αὐτῇ παραλυθεῖσα τύχῃ. γονόρροια μὲν οὖν τῶν σπερματικῶν ὀργάνων ἐστὶ πάθος, οὐ τῶν αἰδοίων, οἷς ὁδῷ χρῆται πρὸς ἔκρυσιν ἡ γονή. i. Nihil igitur mirum sit, si in seminarijs vasis solis interdum idem accidat affectus, vt & gonorrhoeæ affectus, quæ inuoluntariæ vrinæ excretioni proportione respondeat, quum contẽtrix facultas resoluta fuerit. Ergo gonorrhœa vasorum est seminariorum affectus, non colis, quo quasi via quadã, vt effluat semen vtitur. His verbis Galenus diuersum à gonorrhœa affectũ eum statuisse videtur, in quo ex seminarijs vasis conuulsione correptis semen fluat: verba enim ea, vt & gonorrhœæ affectus, id prorsus significant. Nam qui ita dicit, priorem affectum non esse gonorrhœam vult, quod eo Galenum existimasse arbitror, ꝙ in seminis fluxione, in qua contentricis facultatis imbecillitas in causa est, symptoma hoc gonorrhœa scilicet morbũ statim sequitur ipsum, nimirum malũ seminariorum vasorum temperamentum, ob quod contentrix facultas imbecillior redditur. At quum cõuulsis vasis semen fluit, symptoma hoc aliud sequitur symptoma, conuulsionem videlicet, quæ ipsa deprauatus motus quum sit, symptoma est: quod tamen quum alio ꝗ̃ gonorrhœæ nomine significantius manifestare non posset, ita appellauit in libris de causis symptomatum ac prius quidem dum de deprauati motus symptomatis pertractat ob secundũ diuisionis mẽ-

brum iterum quum symptomata ea enumerat quæ in genere eorum, quæ retinentur & excernuntur, versantur, ob primum gonorrhœæ significatum, cui vni gonorrhœæ definitio sexto de locis affectis libro congruit, vt in qua nec penis tendatur, quod alterius generis symptoma sit, & alioqui assiduus magis seminis effluxus visatur, quam in seminariorum fortasse vasculorum cōuulsione: quod in altera causa subsit assidua, mala temperatura, in altera conuulsio: sicuti facilius fortasse inuadere ita diutius perdurare non temere cōsueuerit. Erit igitur vtraque gonorrhœa, hoc est seminis fluxio, sed prior illa rectius ob prædictas causas ita appellabitur, posterior autem cum conuulsio, tum à sequenti conuulsionem symptomate gonorrhœa, nominetur: sicuti in febribus ijs accidit, quę partis alicuius phlegmonem sequuntur. Nāque has, quum febris interdum nomine significemus, non minus certe vsitato vocabulo nunc peripneumoniam, nūc pleuritidem, nominamus, aut tale quippiam. Ad eūdem opinor modum alterū gonorrhœæ discrimen nunc conuulsionem, nunc gonorrhœam voces licet. Hoc exemplo sexto de locis affectis libro Galenus sub gonorrhœæ vocabulum eam quæ conuulsis vasis fiat non admisisse visus est, quum illam tamen planam alioqui fecisset: at in libris de causis symptomatum bis de ea gonorrhœam appellans disputat, quam licet ita nominet, conuulsionis tamen loco statuit, propterea quod libro de ea disserat secundo in

quo

quo motricis facultatis læſiones explicãtur, inter quas vel in primis cõuulſio numeratur. Sic fit vt quum tam ĩ libro de locis affectis, q̃ in de cauſis ſymptomatum vtranq; deſignet, alibi tamen alteram tantum gonorrhœam appellet, id quod nõ immertio, neq; nullo prorſus ſine exẽplo fieri ſatis, niſi fallor, ſupra docuimus.

Vindicatus à contradictione Galeni locus, de ſpirandi diuerſitate in caro & catalepſi,

Enantioma XI.

ADmonuit me aliquando per literas contradictionis cuiuſdam, in Galeni libris euidẽtiſſimæ, Ioan. Petrus Merendius, vir eruditiſſimus, humaniſſimusq;, qui nunc ſumma cũ gloria, ingeniiq; atq; eruditionis cuiuſdam nõ proletariæ, apud omnes opinione, medicum agat in nobiliſſima Ferdinãdi sereniſſimi Regis curia, ea eſt de reſpiratu in caro, & catalepſi. Quẽ in morbis his modo expeditum, modo impeditum eſſe dicit. Nam libro de locis affectis quarto ita ait: ἐὰν γὰρ ὅλον ποτὲ πάθῃ τὸ πρόσθιον ἐγκεφάλου, συμπάσχειν μὲν ἀναγκαῖόν ἐστι καὶ τὰ περὶ τὴν ὑψηλοτάτην αὐτοῦ κοιλίαν, βλάπτεσθαι δὲ καὶ τὰς διανοητικὰς αὐτῶν ἐνεργείας, καὶ κεῖται ἀναίσθητος μὲν, καὶ ἀκίνητος ὁ οὕτως κάμνων, οὐδὲν δ' εἰς τὴν ἀναπνοὴν βλάπτεται, καὶ καλεῖται τὸ πάθος τοῦτο κάρος. i. Etenim ſi quãdo anterior cerebri pars vniuerſa patiatᷣ, vna ſupremus hui⁹ quoq;

ventriculus afficiatur necesse est, simul et actiones eorum lædantur dianoeticæ, atque qui ita laborat iacet ille quidem sine sensu, sine motu, nullam autem respirationis offensam ostēdit, qui affectus vocatur caros. Et paulo post: ὅταν δὲ ἀνατετραμένου τινὸς ὀστοῦ ἡ μέση κοιλία θλιφθῇ, κάρος καταλαμβάνει τὸν ἄνθρωπον, ἄνευ τοῦ σπασθῆναι καὶ δυσχερῶς ἀναπνεῖν. ὧν τὸ μὲν ἐπιληψίας, τὸ δὲ τῆς ἀποπληξίας ἐστὶν ἴδιον. ὥσπερ γε καὶ κάρου καὶ καταλήψεως ἡ κατὰ φύσιν ἀναπνοὴ σωζομένη. ἀλλ᾽ ὁ μὲν κάρος κεκλεισμένων γίγνεται τῶν βλεφάρων, ἡ κατάληψις δὲ ἀνεῳγότων. i. Quum vero in ossis peruersione ventriculus premitur medius, hominem caros, siue sopor corripit, sine cōuulsione & respirandi difficultate: quorum alterum morbi proprium est comitialis, alterum attoniti, quemadmodum sanè cari & catalepsis, respiratio naturalis conseruata, illo tamen discrimine, quod in caro occlusæ palpebræ visuntur, vt in catalepsi adapertæ. Videamus porrò nūc quæ ob eodē hoc autore dicantur in principio quinti eiusdem argumenti libri. Sic enim inquit: ἴσως οὖν τις ἐξ ὧν ἡμεῖς εὐπορήκαμεν αἰτίων, δι᾽ ἣν ἡ καρδία βλάπτεται παθόντος τοῦ ἐγκεφάλου κατὰ τὰς μεγάλας ἀποπληξίας, ἐκ τούτων αὐτῶν εὐπορήσει καθ᾽ ἕτερον τρόπον εὑρεῖν τὴν αἰτίαν δι᾽ ἣν ἐν ταῖς μικροτέραις ἀποπληξίαις καταλήψεσί τε καὶ κάροις, ἐπιληψίας τε καὶ ληθάργοις οὐκ ἀπόλλυται τὸ πάσχον οὕτως ζῶον. εὑρήσει δὲ καὶ τοῦτο θεασάμενος ὅπως ἀναπνέουσιν ἐν τοῖς εἰρημένοις πάθεσιν οἱ πάσχοντες. ὄψεται γὰρ ὅτι βιαίως τε καὶ μόγις ὡς

ὑπὸ δεσμοῦ τινὸς εἱργομένου διαθέλλεσθαι τοῦ θώρακος.i. Ac fortaſſis cauſas quas nos attulimus, cur affecto cerebro in magnis apoplexijs cor læ datur, eaſdem aliquis ſecutus, alio inuenire mo do poterit cauſam quamobrem in apoplexijs minoribus, & catalepſib⁹, & caris, & epilepſijs, & lethargis, minime qui ſic afficit͞, perit. Neq; ſane minus id reperiet, conſyderans quo nam modo in dictis affectibus reſpirent laborantes, videbit quippe violenter id illis atq; ægre acci-dere, quaſiq; vinculo quodam adſtrictus attolli prohibeatur thorax. Sic fit, vt hoc loco caro, ſiue ſopore malis, & catalepſi correptos violen ter ac vix reſpirare dicat, quū tamen retro, idq; ſuperiore tantum libro clara voce planiſſimum feciſſet, in affectibus his reſpirationem ſeruari naturalem. Expeditiſſimum porro hac in re eſ-ſet ſiquis, (quod affirmare quidam non dubita-runt) verba illa, ἐν τοῖς εἰρημένοις πάθεσιν.i. in di ctis affectibus, de apoplexijs dicta intelligat ve-hementioribus tantum, de quibus paulo ante meminerat: quod attentius tamen conſyderan ti minime fieri poſſe videbitur. Sic enim Gale-no ratio inſtituitur, vt dicat, quemadmodum in apoplexijs magnis interitus ſequitur ob de-perditam penitus reſpirationem, ad eundē mo-dum in apoplexijs vehementibus minus, aliiſq; non diſſimilibus affectibus, diuerſa fieri ratio-ne, ob ſeruatum nimirum reſpirandi vſum, vti ne intereant animalia: qui violenter quamuis & vix ſeruetur, ſeruatur tamen, neq; prorſus pe-

rit. Hac ſane de cauſa fuere qui dicerent, violē-
tum in ſopore & catalepſi reſpiratum, ſiquidē
cum eo cōferatur, qui in vehementioribus apo
plexijs viſitur, in quibus prorſus ceſſat, aliqua-
tenus naturalem eſſe: nō ille quidem vere vt ſe-
cundum naturam dici debeat, ſed ꝙ eius tamen
ſeruetur quamuis violēter, quamuis ægre vſus:
qui non inepte fortaſſe ſenſiſſe viderentur, niſi
plura eſſent quæ repugnarent. Iamprimū enim
dicit: οὐδὲν δ' εἰς τὴν ἀναπνοὴν βλάπτεται. dein-
de: ἄνευ τοῦ σπᾶσθαι τε καὶ δυσχερῶς ἀναπνεῖν. de-
inde rurſus: ἡ κατὰ φύσιν ἀναπνοὴ σωζομένη. præ
ter q̃ꝫ ꝙ verbi quoqꝫ violenter, nimis profecto
violenta ita haberetur ſignificatio. Ergo alia ag
grediendum via. Mihi itaqꝫ diligentius conſy-
deranti, viſus eſt, quarto de locis affectis libro
Galenus, ſoporem. i. carū, & catalepſim, & epi-
lepſiam, & apoplexiā, ſuis morbos hos omnes
notis inuicē diſtinctos deſignaſſe, ſignisqꝫ eos
peculiaribus, ac prorſus παθογνωμονικοῖς veluti
delineatos ſub oculos poſuiſſe, eoqꝫ inter ſe in-
terſtitio notatos, vt nulla alterius miſtura vitia-
retur alter, & veluti inquinaretur, neqꝫ in huius
ille, aut illius hic locum migraret. Hac ratione
ſopor, & catalepſis ſine vlla notantur reſpirādi
difficultate, quoties ſcilicet nullus his admiſce-
tur affectus alius, cuius acceſſione confuſis ſpe-
ctētur notis neceſſe eſt, quaſiqꝫ adulteratis. Qđ
adeo vſu venire plerunqꝫ conſueuit, vt rei huius
ſce quotidie ſeſe oculis exempla ſubijciant, præ
ſertim in morbis his, quorū, quū vna eademqꝫ

habeatur humoris causa, in vna aliqua præterea consistunt corporis parte præcisa: quod genus sunt morbi hi, sopor, & catalepsis, morbusque tum comitialis tum attonitus, quos humor omnes procreet frigidus crassusque, aut certe glutinosus: in parte autem consistunt corporis vna, nempe capite, ea tantum differentia quod alius anteriorem magis huius occupet partem, posteriorem alius, sicuti cerebri alius ventriculos, corpus alius infestat magis. In tanta igitur locorum vicinia, facilis mihi quidem esse videtur humoris in alienum locum transitus, aut saltem nõ ægre fieri posse, vt partes sibi quisque proximas in consensum trahat, non diuersa sane ratione, quàm qua epileptici melancholici plerunque fiunt: sicuti è diuerso melancholici epileptici, autore Hippocrate. Prorsus vt ad eundem modum, qui sopore laborant alto, siue etiam catalepsi, credã fieri quoque posse vt morbo pterea corripiantur attonito facile, vnaque & apoplectici, & carotici euadant: quo tẽpore morbi vtriusque cõfundi quoque notas necesse est. At quum soli vigent sopor siue carus, & catalepsis, neque hos vllus inficit morbus alius, in que alium degenerare minime cogũtur, tunc qui sic afficiuntur, iacent illi quidem sine sensu motuque, sic tamen vt nulla respirandi offensa læsione'ue notentur: quum vero alius his præterea additur morbus, deque statu veluti deturpantur suo, eo casu quid mirum si noxam quoque contrahant respirandi, ac nihilo tamen secius soporis adhuc, & catalepsis nomine con-

tineantur: quippe qui ita ſint, minus licet ſynceri puriq́; . Eodem exemplo, vt alia omittam, qui phrenetici ſimul & comatodes ſunt.i.ſomniculoſi, vtroq; appellari num ine poſſunt, itaq́; appellãtur: crebrius tamen phrenetici vocabulo cẽſentur ab Hippocrate. Phreneticos enim, etiamſi comatodes ſint tertio epidem. fere vocat, vt Galenus teſtatur. Non ſolum autem quũ ad pathognomonica morbi alicuius ſigna, aliæ præterea accedant aliorũ hoc genus notæ, morbus ille nomẽ minime amittit ſuum, ſed etiam quum illius interdum obſcurãtur ſigna, quemadmodum ſane in febri ardenti euenit, quam καῦσον appellant, cuius quum pathognomonica ſigna hæc habeantur, inexpletum ſcilicet bibendi deſyderium, & calor perurens quidam, nihilominus tametſi non admodũ ſane ſitiant, neq; impenſe nimis adurantur ęgri, modo ſymptomata duo hęc per totum morbi ipſius decurſum perdurent, cauſos merito vocabitur. Id qđ aperte Galenus indicat in tertio commentariorum ſuorum libro in Hippocratis epidem. tertium, dum verba illa explicaret: ἦν δὲ ἡ κατάστασις τῶν γιγνομένων καύσων ἥδε.i. Erat porro ardentium febrium, quæ eueniebant, conſtitutio talis. Quod ſi igitur cauſos cenſetur, qui longe ꝗ̃ verus ille & genuinus ſyncerusq́; caloris minus, ſitisq́; obtinet, quiq́; comatodes prӕterea ſit, vt Hippocrates eodem ĩ loco dicebat, quod ſymptoma alterius prorſus morbi ſymptoma eſt, a diuerſoq́; penitus humore ꝓgeniti, ꝗ̃ cau

ſus,quanto ſanè magis dici adhuc ſopor ſiue ca
rus merebitur,in quo præter pathognomonica
illius ſigna minime obliterata,deperditum ſcili
cet ſenſum motumq́ꝫ, accedit ſpirandi difficul-
tas: alterius quidem illa affectus nota, ſed qui
tamen eundem in cauſa humorem habeat,neq́ꝫ
multa præterea loci, vt fiunt, intercapedine di-
ſtinguantur. Ad hanc normam Galeni dicta ac
cipio initio quinti de locis affectis libri,de caro
& catalepſi,non puris illis & ſynceris, ſed quos
quædā aliæ morbi alterius notæ admixtę adul-
terēt,ac ſuperiore libro ſuis hos ipſos notis,exa
ctisq́ꝫ,& peculiaribus circunſcriptos ſignis def-
finiuit,nulloq́ꝫ alio morbi genere,vt ita dicam,
infectos. Longe autem minus mirum hoc vide
ri alicui debet Galenum legenti decimo tertio
therapeuticen, ita ſcribentem: ἐπὶ δὲ τῶν ἐναν-
τίων παθῶν ἐπεγεῖραι, καὶ τεμεῖν, καὶ θερμῆναι προ
σήκει τὸ πάχος τοῦ λυποῦντος χυμοῦ, ὅςις ἄνδυ
μὲν τοῦ σήπεσθαι καταφορὰς βαθείας ἐργάζεται χω
ρὶς πυρετῶν, ἃς ὀνομάζουσι ἀποπληξίας, καὶ κά-
ρους, καὶ κατοχὰς. i. At in cōtrarijs affectibus ex-
citare, infeſtantisq́ꝫ humoris craſſitiem diſſeca-
re ſimul,& excalfacere expediet,q abſq́ꝫ eo qui-
dem ꝙ putreſcat ſomnos edit profundos,nulla
cum febre,quos apoplexias,& caros.i.ſopores,
& catochas appellāt. Vides vt hoc loco apo-
plexia, & caros Galeno eadem ferè continean-
rur ſpecie: aut certe non diſſimili fuſione quo-
dam vocabulo: Quin idem tertio quoq́ꝫ de lo-
cis affectis libro ſentit,in hunc modum ſcribēs,

quum paulo ante præter affectus alios quosdã apoplexiæ etiã meminisset: τὴν τοίνυν ἀναπνοὴν ὅταν ἱκανῶς ἐμποδιζομένην ἴδῃς, καὶ μόγις γινομένην, οὐ μικρὰν τεκμαίρου τὴν νοσώδη διάθεσιν, ἐν ἐγκεφάλῳ γεγονέναι κατὰ πάσας τὰς καρώδεις νόσους. hoc est, Ergo quoties impedite satis, & vix respirantem ægrum videris, in morbis omnibus soporosis, i. carodis, cerebrum conijcito non spernendum contraxisse affectum morbificum. Quo etiam ĩ loco ex maiore minore'ue respirationis oblæsione, argumẽtum ducit morbi magnitudinis, non attoniti solum, sed etiam aliorum omnium quos carodos, i. soporosos appellat, in quibus neq; sentiente, neq; moto corpore, seruari tamẽ respirationis vsum dicat, vt iam hinc quoq; colligere liceat morbos hosce sine spiritus offensa esse posse, nẽpe quoties aut synceri sunt, sicuti de caro diximus & catalepsi, aut mitiores quidam. At quum increbuere, aliorumq; præterea assumpsere secum notas, spirandi quoq; difficultate notari, quo tempore cari adhuc hoc est soporis, & catalepsis vocabulo cẽseri posse, abunde, ni fallor, monstrauimus, voce licet min9 fortasse propria, q̃ quum morbos hos, exactius libro de locis affectis quarto definisset. Quæ omnia ab ijs quæ superiore enãtiomate de gonorrhœa tradidim9, minime discrepare facile notarit is qui attentiore ista animo legerit.

Expositus libri de locis affectis primi locus, in quo seruati motus, amissiq; sensus causa tra-

ditur diuersa prorsus ab ijs, q̃ alibi super re hac senserit Galen⁹, atq; adeo deciderit, sanxeritq;.

Enantioma XII.

SOllicitum habere aliquem non immerito certe possunt, quæ a Galeno dicũtur libro de locis affectis primo, haud ita multo ante libri ipsius exitũ, quo loco affectus causam quærit, in quo seruata mouendi facultate sentiendi deperdita vis fuerat, quod illi cõtigerat qui dũ Romam iter tenderet, forte curru exciderat, afflictoq; terræ dorso trium manus digitorũ sensu amisso, nullam motricis facultatis læsionem persenserat. Sic enim scribit: κἀπειδὴ τελέως ἀπηλλάγη τοῦ πάθους, ζήτησις ἐγένετο τοῖς ἰατροῖς ἥτις ποτ' ἦν ἡ διάθεσις τῶν νεύρων, ἐν ᾗ τὴν μὲν κίνησιν αὐτῶν σώζεσθαι συμβαίνει, τὴν δ' αἴσθησιν ἀπόλλυσθαι. κἀγὼ τὸ λελεγμένον ἤδη τισὶ τῶν ἔμπροσθεν ἰατρῶν εἶπον, ὡς ἡ μὲν αἴσθησις ἐν τῷ πάσχειν, ἡ δὲ κίνησις ἐν τῷ ποιεῖν τι γίνοιτο, καὶ διὰ τοῦτο ῥώμης μὲν δεῖ τῷ κινήσοντι, τῷ δ' αἰσθησομένῳ καὶ ἡ βραχυτάτη δύναμις ἀρκεῖ. hoc est, Cæterum postq̃ affectum omnem euasisset, quæstio orta inter medicos fuit, qui nam tandem esse neruorum affectus posset, in quo seruata motione, sensum eos amittere contingat. Dixi idem, quod priores olim medici nonnulli dixissent, sensum nimirũ patiendo, sicuti motum agẽdo expleri, quo plane fieret, vt viribus opus esset motui peragẽdo, sensui autem facultas abunde esset perexigua.

Atque huiusmodi hoc in loco traditur à Galeno causa, cur seruato motu sensus aliquando pereat. Quod si hanc eandem docebimus autorem hunc ipsum afferre, cur è diuerso seruato interdum sensu motus pereat, quid esse causæ dicemus, quo minus controuersiæ reum peragere Galenum possimus ingentis atque notoriæ? Atqui in primo de causis symptomatum quæstionem hanc ipsam pertractans, verba hæc adscribit: ἐν οἷς δὲ μέλεσι τὰ σκληρὰ μόνον ἐστὶ, διοριστέον ὧδε τὸν λόγον, εἰ μὲν ἀφηρημένου τοῦ δέρματος ὁ ὑποκείμενος μῦς γυμνὸς ὢν ἀκίνητος μὲν φαίνεται, ψαυόντων δ᾽ αἰσθάνοιτο, μικρὰν ἡγητέον αὐτῷ συμπεπτωκέναι τὴν βλάβην, ὡς μέρος τοσοῦτον δυνάμεως δέχεσθαι ψυχικῆς, ὅσον αἰσθάνεσθαι μὲν ἱκανόν ἐστιν, κινῆσαι δὲ τὸν μῦν οὐχ ἱκανόν. ἐν γὰρ τῷ πάσχειν μᾶλλον, ἤπερ ἐν τῷ ποιεῖν ἐστὶν ἡ τῆς ἁφῆς αἴσθησις. ὥστ᾽ ἐγχωρεῖ καὶ δι᾽ ὀλίγης αὐτὴν ἐπιτελεῖσθαι δυνάμεως. ἡ δὲ τῶν μυῶν κίνησις ἐν τῷ ποιεῖν, οὐκ ἐν τῷ πάσχειν ἔχουσα τὴν ἐνέργειαν, (ὅλον γὰρ ὑπὸ ταύτης μεταφέρεται τὸ σῶμα) πολλῆς δεῖται δυνάμεως ψυχικῆς. ἔμπαλιν δὲ οὐχ ἂν εὕροις ποτὲ γεγενημένον, ὡς κινεῖσθαι μὲν, ἀναίσθητον δὲ εἶναι τὸν γυμνὸν μῦν. i. In quibus vero membris nerui habentur duri tantummodo, distinguenda ad hunc modum ratio, detracta cuti subiectoque nudato musculo, siquidem is immobilis quidem videbit, tangentes vero sentiat, exiguum illi contigisse nocumentum existima, sic vt animalis facultatis tantum recipiat, quantum sensui quidem satis sit, mouendo aũt musculo non satis. Etenim

tangendi ſenſus, patiendo potius q̃ agendo cõtinetur: proinde vel a parua abſolui facultate poteſt. Muſculorum vero motus, qui agendo, non patiẽdo functionem ſortitur, (vniuerſum enim ipſe circunfert corpus) facultate eget naturali plurima: e contrario autem nunquam ſane factum inuenias, vt nudatus muſculus moueat, non autem ſentiat. Cauſam quam ĩ libris de locis affectis, affectui aſſignarat, in quo ſeruata motione ſenſus amittebatur, hoc loco contrario prorſus reddidit, quum ſcilicet ſeruatur ſenſus, deperditur motus. Nulla porro commoda ſatis iniri poteſt ratio diuerſarum rerum oppoſitiſſimarumq́ cauſam eandẽ afferenti, hoc quidem pacto, ac lõge quidem minus q̃ qui geminas parietes ex vna fidelia dealbat, vt eſt in prouerbio. Hunc nodum credo quum vidiſſet aliquando is, qui ante Copum latinum nobis Galenum fecit in libris de locis affectis, vertit sentẽtiam omnem, vt notatum videre potes in Galeni codicibus, qui haud ita multo ante prodiere in lucem ex Iuntina officina: ſic enim habẽt addita margini gloſſemata quædam, quo quidem loco Galenus ait ſeruata motione ſenſum eos amittere contingat, ita adſcribunt: Antiqua trãslatio legit, ſeruato ſenſu motus pereat. Et paulo poſt loco verborum, vt ſeruato ſenſu motus pereat, ſeruato motu ſenſus periret. niſi ſi pro antiqua forſan tranſlatione priorem intelligant Copi æditionem, cuius nunc non eſt mihi præmanibus exemplar, ſicuti neq́ interpre-

ſum veterum quidem. Vt vt autem ſeſe habet
res, cõſtat aliquem adieciſſe oculos Galeni ver-
bis ſententiæ alibi autoris eiuſdem pugnanti-
bus, verborumq́ꝫ inuertiſſe contextum, quũ ex-
plicãdi aliter nodi nulla illi aperiretur via alia,
id quod nullo penitus admitti pacto poteſt aut
debet. Præter q́ꝫ ꝙ enim Galeni ita, vti nos in-
terpretati ſumus, habent, nõ mendoſiſſimi cer-
te codices græci, manifeſtiſſime etiam hiſtoriæ
repugnes, cuius paulo ante meminerat Galenꝰ,
ſi ſic inuertas: De vehiculo enim qui ceciderat,
ſic manus digitorum ſenſum amiſerat, vt inte-
ger illi reſtaret motus. contra atq́ꝫ gloſſemata
illa notant. Quo inquit perſanato queri cœptũ
medicis, qua ratione fieret vt ſeruato motu ſen
ſus deperderetur, ſcilicet quod factum in homi
ne eo vidiſſent quærentibus, nõ quod minime
factum indagantibus. Nam ꝙ paulo poſt ver-
ba ſubdit Galenus ea: ὅσον μὲν γὰρ ἐπ' ἐκείνῳ τῷ
λόγῳ, παντάπασιν ἀδύνατόν ἐστιν ἀπολωλίας αἰ-
σθήσεως ἔτι κινεῖσθαι κατὰ προαίρεσιν, hoc eſt, Nã
ꝙ ad rationem illam attinet, fieri neutiquã po-
teſt, vt amiſſo ſenſu motione fungantur volun-
taria. Superiori ſententiæ reclamãtis verba
ſunt, iamq́ꝫ ex hoc implicatæ rei euoluẽdæ, atq́ꝫ
explicandæ caput firmiter teneas licet. Neq́ꝫ e-
nim quum Galenus cauſam primo ſciſcitanti-
bus medicis ſeruati motus, amiſſiq́ꝫ ſenſus aſſi-
gnaret eam, de ſuo illam profert, ſed ꝙ priores
ad quæſtionem reſpondere ita cõſueuiſſent me
dici, qui fortaſſe ita exiſtimarent, vt ſenſus peri-

ret, remanere nihilominus motum poſſe, propterea quod quum ſenſus patiendo conſtaret, vt agendo motus noxam facilius ſuſcipere videretur ſentiendi quàm mouendi vis poſſe, quod ſentiendi illis fortaſſe vis, vtpote exigua atque imbecilla, & vt Galenus eodem loco dicebat, βραχυτάτη ſuſcipiendæ noxæ obnoxia magis videretur motrice facultate, quæ maiore robore conſtaret: quum tamen contra potius ſe habeat res. Etenim ſi nerui alicuius facultas motrix, vt cõmouere muſculum poſſit, viriũ portionibus egeat, verbi gratia, quattuor, eademque vt ſentiat duabus tantum, colligitur ſane nemine iudicij, mẽtisque non commotæ, reclamante, vt noxam facilius, mouendi perſentiſcat vis quàm ſentiendi, quę donec quidem reliquæ fuerint portiones illæ quas, exempli cauſa, duas ſtatuimus, opus peragere ſuum poſſit expedite, quod motrici facultati non licet, vt quæ permouendo mẽbro portiones requirat, vti ſuppoſuimus, quattuor, quibus ſi parum quid etiam dematur, motus reddatur imbecillior neceſſe eſt, aut etiam auferatur totus detracta maiori quantitate. Sic porro ad hanc rem dicebat Galenus quarto de locis affectis: εἷς γάρ τις μῦς ἐνίοτε κινῶν ὅλον τὸ σκέλος, ἢ καὶ τὴν χεῖρα, καὶ διὰ τοῦτο ῥώμης δεόμενος, ἐπειδὰν πάθῃ, μηκέτ᾽ ἐνεργεῖν δυνάμενος, ἀκίνητον μὲν ἐργάζεται τὸ κῶλον. ἡ δὲ αἰσθητικὴ δύναμις διαγνωστικὴ τῶν κατὰ τὸ μόριον οὖσα παθῶν ἀβλαβὴς αὐτῷ διαμένει, μὴ δεομένη μεγάλης ἰσχύος. τότε γὰρ πάσχειν οὐδὲν ἧττον, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ὑπάρχει τοῖς

ἀσθενέσιν, ἥ τε διάγνωσις τοῦ πάθους αὐτάρκως γίνεται καὶ δι᾽ ἀῤῥώστου δυνάμεως. i. Etenim vnus aliquis plerūq; musculus, qui crus moueat vniuersum, aut etiam manum, roboreq; propterea indigeat, quum affectus laborauerit munere ille fungi suo vltra nequit, ac membrum quidem ipsum immobile reddit: sentiendi autem facultas, quæ partis ipsius dignoscit affectus, illæsa perdurat, vt quę vires non sanè permagnas exigat. Nam & imbecilliora quæ sunt nihil sanè minus, quin magis quoq; patiuntur, & affectus præterea dignotio cari abunde vel ab imbecilla facultate absoluitur. Sanè rationi Galenus sic à medicis illis allatæ neq; hic refragatur, & in libro præterea de causis symptomatum subscribit, hoc quidem casu, quum in nerui vnius læsione quæstionē proponimus. Etsi enim neruorum, qui distributi in musculos essent reliquias quasdam in cutim deriuari arbitrarētur, causam tamen illi reddebant, amissi motus seruatiq; sensus: ἐπειδὰν πάθῃ τὸ καταχιζόμενον εἰς τὸν μῦν νεῦρον. hoc est, Quum affectus esset neruus, qui in musculū dispescitur. ideoq; in amisso motu, seruato vero sensu hęc eorum valebat oratio. At quum amissi cōtra sensus, motus autem illæsi causam ab eis quis sciscitaretur, extrema prorsus quædam deblatterare cogebantur: quod neruorum varietatem non nossent, vt primo de locis affectis cōtingebat. Quum enim in horum ipsorum diuersitate motum quidem seruari, amitti autem sensum contigerit, eo casu mi-

rum non ſit, ſi qui mouendi facultatem defert neruus, noxam nõ ſentiat, ſentiat autem is qui deuehendo ſenſui conſtitutus à natura ſit, vt in lingua, vt in oculis fieri ſæpius videmus, vtq; hoc eodem in exemplo contigit, vbi nerui qui mouendis digitorum muſculis, facultatem nõ deferunt, ſine noxa ſeruari, munere fungebantur ſuo, læſis interim iјs qui in cutim deriuati, ſentiendi vim digitis eiſdem elargiuntur, quorum diuerſa ab aliјs ſit ĩ ſubiectas partes origo. Atq; hoc ſanè pacto Galenus ipſe non ſolum hoc in loco, ſed alibi etiam quæſtionem hãc diluit, vti dicat nihil videri mirum debere, ſi quũ plures vno nerui habentur, nunc amiſſo motu ſenſus reſtet, nunc vero contra amiſſo ſenſu reſtet motus. Rationem autem illam accommodat, quum id in vnico accidit neruo, vt cũ motus amiſſione ſubſtet etiamnum ſentiendi facultas, ꝙ huius quãuis exiguum ſi factum reliquũ ſit, perduret, vti diximus, ſenſus, quæ ipſa tamẽ motui explendo ſufficere nequeat. Qua planè ratione contrarium vſu venire poſſe pernegat, vt quum perierit ſenſus, reliquus ſit motus, in eiuſdem quidem atq; vnius tantum nerui oblæſione. Quod quũ accidit, nempe vt ablato ſenſu motus incolumis ſubſiſtat, nihil dicendum aliud ſit, ꝙ̃ neruorum id fieri diuerſitate: quum contingere facillime poſſit, vt alterum tantum neruorum genus lędatur, cuius ſtatim ſentiatur nocumentum. Non dubitarim igitur his quidẽ de cauſis affirmare libro de locis affectis pri-

mo, Galenum eo casu deperditi scilicet sensus motusq; illæsi rationem illum non eo attulisse ꝙ probaret, sed ꝙ priores ita sentirent medici. Quin eam deinceps statim damnat. Quū enim, inquit, ratio illis hæc probaretur, recteq; id dictum videretur, quid vos inquam, nōne aliquā do id etiam contingere vidistis, vt contra atq; nunc accidit amitteretur motus, sensus aūt inof fensus permaneret? Quasi diceret, siquidem ratio amissi sensus motusq; illæsi, quam vos probatis, vera sit nunquam quidem continget vt cōtra eueniat, nimirum vt amisso motu sensus maneat: quod quum quandoq; tamen contingat, vel vestro ipsorum testimonio, aperte id rationi iam vestræ refragatur, quæ tunc demū vera esse reperiretur, si ablato tātum sensu permaneret motus: nunc autem quum vsu interdum etiā veniat, vt deperdito motu perduret adhuc sensus, concedat ea|quoq; ratio oportet: ergo alia prorsus quærenda. Nam quantum quidem ad illam attinet, quam vos à me relatam veram hoc casu creditis, nunquam quidem ablato sensu remanere poterit motus, ꝑpterea ꝙ corruit iam illa contrario casu euersa, quum fiat interdum vt amisso etiam motu sensus permaneat. Hoc enim pacto verba illa ītelligēda arbitror, ὅσον μὲν γὰρ ἐπ' ἐκείνῳ τῷ λόγῳ παντάπασιν ἀδύνατον. i. Nam quod ad rationem illā attinet fieri neutiquam potest. Rei autem vtriusq; causam Galenus in neruorum mox reijcit diuersitatem, in quo potissimum fallebantur priores

illi

illi medici, nerui vnius tantum oblęsione acci
dere semper existimantes, vt amisso sensu serua
retur motus, & itē amisso motu seruaretur sen=
sus: quum facilis tamen interea rei vtriusq; cau
sa sit, neruorum origines inspicienti varias. Lō
gius autem q̄ par fortasse fuerat sermonem pro
traximus, ob ortam mihi super re hac superiori
bus mensibus altercationem cum nō postremi
sane nominis medico. Volui igit̃ experiri an
satisfacere illi hac fortasse explicatione possem,
si quando in rostra hæc incidet.

Bona corporis habitudo, quæ absoluto ser=
mone talis esse intelligatur, quo pacto cadere
in colonorum plerosq; possit,

Enantioma XIII.

AGricolarum inueniri multos posse metē=
tium fodientiumq;, qui bona pręditi sint
habitudine, censuit Galenus, dum tertium Hip
pocratis aphorismum exponeret, ita scribens:
ἡ μὲν γὰρ ἁπλῶς εὐεξία λεγομένη, ἣν καὶ τῶν ἀγροί
κων ἔχουσι πολλοὶ σκάπτοντες, καὶ θερίζοντες, καὶ
τ' ἄλλα ὅσα κατὰ τὸν βίον διαπονούμενοι, οὐχ ἥκει
μέχρι πληρώσεως ἀμέτρου. i. Nam quæ simplici
ter bona dicitur habitudo, quamq; rusticorum
multi fodientes metentesq; obtinent, tum reli=
quis necessarijs sese laboribus exercentes, ad ni
miam illam plenitudinem minime deuenit.
Εὐεξία porro, i. bona habitudo, Galeno, vt

multis in locis est videre, sed & in Thrasybulo, naturalis corporis affectus, siue constitutionis virtus quædam est. hoc est, summa perfectaq́ eius bonitas, suoq́ in statu facile perdurans. Quod si bona habitudo huiusmodi est, sicuti profecto est, hãc illis rursus demere videtur primo de facultatibus alimentorum libro cap. de tritico. Sic enim ait, quum prius errata quæ in victus ratione admittãt fossores messoresq́ edocuisset: ἀναρπάζουσι γὰρ αἱ κεναὶ σάρκες ἐκ τῆς γαστρὸς οὐ μόνον ἡμίπεπτον, ἀλλὰ καὶ παντάπασιν ἄπεπτον ἐνίοτε χυμὸν, ὅταν ἐπὶ σιτίοις πονῶσι. καὶ διὰ τοῦτο νόσους χαλεποτάτας ὕστερον οὗτοι νοσοῦσιν, καὶ πρὸ γήρους ἀποθνήσκουσιν. καὶ ταῦτα ἀγνοοῦντες οἱ πολλοὶ μακαρίζουσιν αὐτῶν τὴν ἰσχὺν τοῦ σώματος, ὁρῶντες ἐσθίοντάς τε καὶ πέττοντας ἃ μηδ᾽ εἷς ἡμῶν δύναται προσενέγκασθαι καὶ πέψαι. i. Neq́ enim solum semiconcoctum ex ventriculo humorem ad se reuellit exinanitũ corpus, sed etiam inconcoctum prorsus aliquãdo, quũ scilicet à cibo sese fatigarint: ideoq́ fit vt morbos hi tandem incurrant periculosissimos, immaturaq́ etiamnum ætate obeant. Cuius sanè rei ignorantia cõplures videas beatos illos esse existimãtes, tali prǽditos corporis virium robore, quum ea hos assumere, atq́ etiam conficere cibaria videãt, quæ nostrum nemo neq́ admittere, neq́ concoquere valeat. Quibus planè verbis facile colligas quantum ij à bona distẽt habitudine, quos morbi facile corripiãt exitiales adeo, quosq́ præpropera sæpe ante diem

præueniri morte videamus. Neq; illuc mihi q̄s hoc loco cōfugiat, multos eum rusticorum bona præditos esse habitudine dixisse, nō omnes. Multos enim quos dixit, eosdē & fodere & metere dixit, quibus potissimum laboribus, siquidem à cibo ineantur, maximam crudiorum humorum vim colligi ipsemet fateatur. Quotus autem quisq; est qui non, & quidem lubentius sese statim à cibo fatiget fossorū, messorumq;? Hanc quidem ob rem ausim affirmare, (nisi q̄d aliud sit, quod huiusmodi, quæ in victus ratione committuntur erratis cōtra stet) necesse ferè esse colonorum plerosq; omnes multum infra bonæ illius habitudinis conditiones subsistere. Sed aliud tamen est quiddam, ex quo tātum hi percipiant in vita emolumenti, facile vt bonam huic habitudinem acceptam referre possint: id autem est somnus, qui quum egregie alioqui concoctioni semper omni opituletur, vires tamen in colonis potissimum ostendit suas atq; exercet, vt qui somnum longa atq; assidua diei totius defatigatione altissimum sibi concilient, placidissimumq;, præter id q̄ nullis hi inde excitantur curis grauioribus, non ambitio eos, non reliquæ angant eiusdem modi pestes, ac veræ μελεδόναι, fugando longe somno, exedēdisq; atq; exiccandis artubus aptissimæ, vt non inepte sensisse videri possit, qui in eorum demū inhabitare casis sine insomnijs somnum dixit. Huius illi beneficio, si quid contractum est ex cibariorum victusq; totius prauitate nocumēti

discutiũt, neq; id iniuria: siquidem videas Hippocratem quoq; ipsum cibaria hyeme largiora concedere, ob somni in primis longitudinem. Meliorem porro concoctionem in somno fieri contingit non tantum eam, quæ ventriculi est, sed etiam reliquas quæcunq; vniuersæ corporis totius moli suggerunt alimentum. Breuiter facultatum naturalium prope omnium œconomia illa, ob caloris innati eo potissimum tẽpore vigẽtis robur, & felicius inchoatur, & exquisitius cõsumatur. Rusticos igitur qui ĩ hoc, vt ita dicam, albo sunt, vt post diurnos labores egregie exantlatos, noctes præterea ducere in somnes non cogantur, quiq; non improbando alioqui constent à natura temperamento, crediderim ciborum ego prauitatem, intempestiuæq; defatigationis offensam adeo hac vna re emendare posse, vt inter bona habitudine præditos collocari non immerito queant, deq; his loquutum Galenũ existimo in aphorismi enarratione illius. Qui vero præterquam quod cibos assidue ingerãt succo refertos vitioso, operibusq; à cibo factitandis occupentur, quæ crudum etiamnum ventriculo cibũ præripiunt, inq; corporis transferunt molẽ: noctes præterea insomnes transigunt, concoquendisq; ex somno alimentis vsum deperdunt, ij nihil sanè mirum si & grauiter plerunq; ægrotant, & cito vitam finiunt: quos libro de facultatibus alimentorum primo notarit Galenus. Cæterum quantum capiant ex somno vtilitatis fossores messoresq;,

ex eodē Galeni capite ſumas licet: verbis enim quæ ante tranſcripſimus ſtatim iſta adnectit: ἐπεὶ δὲ καὶ τοῖς πολλοῖς ταλαιπωρηθεῖσιν ὕπνοι βαρύτεροι γίγνονται, καὶ τοῦτ' αὐτοῖς μειζόνως πρὸς τὰς πέψεις συντελεῖ, διὰ τοῦ ἧττον ὑπὸ τῶν μοχθηρῶν ἐδεσμάτων βλάπτονται. εἰ δ' ἀναγκάσεις αὐτοὺς ἀγρυπνῆσαι πλείοσιν ἐφεξῆς νυξὶν, αὐτίκα νοσοῦσιν. ἐκεῖνοι μὲν οὖν ἓν τοῦτο μόνον ἀγαθὸν ἔχουσιν εἰς πέψιν τῶν μοχθηρῶν ἐδεσμάτων. i. Quoniã vero multi ex his laborandi aſſiduitate defeſſi ſomno corripiuntur profundiore, idq́ illis plurimum ad concoctionem facit, ideo fit vt cibariorum prauitate minus offendantur. Quod ſi plures deinceps noctes inſomnes eos ducere cogas, morbos ſtatim incurrūt. Atq́ hoc illi vnū habent boni vitioſis cibarijs conficiendis. Quod ſi tantū ineſt in ſomnis alte captatis vtilitatis, quid impedit quo minus quum bonã crudiorum humorum partem confecerint hi, reliquum quod fuerit corporis totius euacuatione abeat, quã ex diei totius defatigatione fieri par eſt credamus? Atq́ ita bonam habitudinem in multos eorum cadere poſſe fatendum ſit.

Aqua quomodo humectet, quomodo item minime id pręſtet: tum de balnei humectatione quædam, deq́ aquæ vſu in ſedanda ſiti.

Enantioma XIIII.

SI quis diuerſa conferat, in quibus de aquæ poteſtate pertractat, Galeni dicta, non pa-

rum ſane` is deprehendat diuerſitatis in his, repugnantiamq́ notet inter ſeſe manifeſtiſſimã, vt mirum ſit in rei vſq; adeo protritæ, peruulgatæq́, ac deciſæ, quęq; in confeſſo ſit, mentione, interdum non dicam aberraſſe, (quod tametſi fieri potuit nec piaculum ſit, id de homine quidem quandoq; fateri, hic tamen factum minime crediderim) ſed non ſententiam ſaltem planius, apertiusq́ indicaſſe ſuam. Prius enim quũ de aquæ facultate ex profeſſo, neq; iam aliud agens tractaret, ita ſcribit libro primo de ſimplicium medicamentorum facultate: αὐτὴ μὲν οὖν ἡ οἰκεῖα φύσις τοῦ ὕδατος ὑγρά τε ἐστὶ καὶ ψυχρὰ, προλαμβάνον δ' ἐπίκτητον θερμότητα θερμαίνει μὲν καὶ ὑγραίνει τὰ πλησιάζοντα. πλὴν οὔτ' ὁμοίως ἄμφω πέφυκε δρᾷν ἅμα, ἀλλ' ὑγραίνει μὲν ἄκρως, ἄντε χλιαρὸν, ἄντ' εὔκρατον, ἄντε καὶ θερμότερον ὑπάρχει. θερμαίνει δ' οὐκ ἄκρως, τό γε μὴ ζέον ἐχάτως. i. Itaq; propria germanaq́ aquæ natura frigida habetur atq; humida, aſſumpta autem caliditate aduentitia excalfacit quidem ea atq; humectat, quibus admota fuerit, ſic tñ vt non æque` opus vtrunq; vna peragat, ſed ſummopere quidem humectat, ſiue ea tepida, ſiue temperata, ſiue calidior adhibeatur: at non ſumme excalfacit, niſi ſi ad extremum ferueat. Quam plane` ſententiam quum ipſe nuſquam non ſequatur, idem præterea ſenſiſſe veteres quoq; affirmat, libello de ptiſana: εἰ δέ καὶ ἀπόδειξιν ζητεῖς τοῦ ψύχειν τε καὶ ὑγραίνειν τὸ ὕδωρ, οὐ τοῦ νῦν ἐστὶ λόγου περὶ πτισσάνης προθεμένου διεξελθεῖν, πλὴν ὅτι

ψυχρὸν ἐστὶ, καὶ ὑγρὸν ἅπαντες οἱ παλαιοὶ ἀπέδειξαν, καὶ ἡ πεῖρα μαρτυρεῖ. i. Quod ſi rei huiuſce demonſtrationem quæras, ꝙ ſcilicet aqua refrigeret atq; humectet, id ſane præſenti ſermoni minime conuenit, qui de ptiſana diſerere propoſitum habeat. Cæterum frigidam eam eſſe humidamq;, veteres demõſtrarunt vniuerſi, comprobatq; id experientia. Id quod nos ſane quoq; cũ vniuerſa medicorũ hodie ſchola recepimus exploratiſſimum, & pro compertiſſimo circunferimus, idq; de aqua ſemper diſputantes ſyncera illa puraq;, cui nulla quæ illam inficiat, admixta rei extremæ natura ſit. Atq; huiuſcemodi tamen aquam minime humectare, idem Galenus pronuntiauit in expoſitione decimi tertii aphoriſmorum quartæ ſectionis his verbis: τὸ δ' ὕδωρ οὔτε πινόμενον, οὔτ' ἔξω προσπίπτον ὑγραίνειν πέφυκεν αὐτὰ τὰ στερεὰ τοῦ ζώου μόρια. hoc eſt, Aqua aũt ipſa, neq; ſi bibatur, neq; vero ſi foris admoueatur, ſolidas animãtis particulas humectare conſueuit. Dicat ſtatim aliquis, ſolidas tantum partes aquæ vſu minime humidas reddi, deq; his ſolum loquutum Galenum, non ẽt alijs, quas ipſas humectare facile poſſit, etiam ſi ſolidiores non poſſit. Viderint qui ita defendunt, quo nam tandem modo Galenum deinde tueantur, qui eodem in loco hoc eſt libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus primo, dum de aqua pertractat, eandem hanc ſolidiores quoq; partes ipſas humectare dicat, ad hunc modum: οὕτω δὲ κἀπὶ τῶν καταιονήσεών τε

καὶ λουτρῶν ἔχει, καὶ πάσης ἁπλῶς τῆς δι᾽ ὕδατος θερμοῦ τέγξεως. αἱ μὲν γὰρ ἐν τοῖς ἀγγείοις, καὶ ταῖς ἄλλαις χώραις ταῖς κοιναῖς ὑγρότητες ἐκκενοῦνται πᾶσαι. τὰ σώματα δ᾽ αὐτὰ τῶν ἀγγείων, καὶ σύμπαν τὸ σαρκῶδες γένος ὑγρότερον ἑαυτοῦ γίνεται. i. Eodem autem ſe res habet modo in perfuſionibus, & balneis, breuiterq́ in omni aquæ calidæ irrigatione. Humiditates enim, quæ in vaſis, ſpatijsq́ alijs continentur communibus, euacuantur omnes: at vaſorū corpora ipſa, carnoſſumq́ genus vniuerſum, ſeipſo redditur humidius. Quid eſt porro aliud, vaſorum corpora humidiora fieri, q̃ ſolida ipſa corpora, q̃ στερεὰ vocant, humectari? & alioqui argumento id declarari certiſſimo poteſt. Nam ſi non diſſimili modo eos falli eodem in loco, inquit, qui exiſtimāt in calidæ perfuſione ſiccari membra, quum humiditates tamen tantum exhauriant, ipſa autem humidiora euadant, atq́ illi decipiebātur qui ſenes pueris humidiores eſſe arbitrabantur, quum humiditatibus redundent ſenes excrementitijs multis, partibus autem conſtent ſolidioribus ſiccis, conuincitur certe in aquæ etiam calidæ perfuſione, partes quæ humectæ redduntur ſolidas eas eſſe, quas στερεὰς, vti diximus, nuncupant. Sic autem aiebat Galenus in libro de temperamentis ſecundo: τούτοις οὖν ξηρὸς ἐστὶν ὁ γέρων, οἷς ὁ παῖς ἦν ὑγρὸς, αὐτοῖς τοῖς στερεοῖς μέρεσι τοῦ σώματος, ὀστοῖς, καὶ ὑμέσι, καὶ συνδέσμοις, καὶ ἀρτηρίαις, καὶ φλεψὶ, καὶ νεύροις, καὶ χιτῶσι, καὶ σαρξὶ. i. Illis igit̃ ſiccis conſtat ſenex,

quibus puer humidis, ipſis nimirum ſolidis corporis partibus, oſſibus, & membranis, & ligamentis, & arterijs, & venis, & neruis, & tunicis, & carnibus. Corpora igitur ſolida ſunt, quæ aqua ipſa humeſcant, nequis ſe elabi poſſe hac reſponſione putet. Quomodo igitur dictū defendetur id, in aphoriſmi illius expoſitione: Neq; deforis admotam aquam, neq; vero interius ſumptam, particulas animalis ſolidas humectare poſſe: Illud igitur mihi hoc in loco dici non abſurde poſſe videtur, q̄ quum inibi de humiditate diſputet, quæ partibus corporis ex cibarijs addatur, alimentiq; facultate, quam minime præſtare aqua poſſit, merito eum pronuntiaſſe nullo pacto aquam ipſam humectare, hac nimirum ratione tantum, q̄ nullam inde alimēti vim perſentiat corpus: quod fieri neceſſe ſit, quando quod præſtare corpori nutrimentum debeat, totum id tranſmutetur oportet, nutritiq; corporis pars euadat: neq; id in aqua eueniat, vt in diuerſam abeat ſubſtantiā, ſanguisq; facta corpori ſeſe addat pro nutrimento. Siquidem Hippocratem enarrāti Galeno credimus lib. de Rati. vic. in mor. acu. tertio, qui caput, quo vitia in primis aquæ ab Hippocrate explicantur exponens ita ait, quum de aqua mentionem faceret: ὅτι δ᾽ οὐ τρέφει, πρόσθεν εἴρηται. διὰ τοίνυν τοῦτο οὐδὲ τὴν ζωτικὴν δύναμιν οἷόν τε ἐστὶ ῥωννύναι. i. Quod autem minime nutriat, superius diximus: quo ſane fit vt neq; vitali facultati robur addere poſſit. Dixerat aūt id ſuperi

tũ Hippocratis verba exponeret illa, κατέγνωσαι δὲ μελίκρατον ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.i. Damnatur autẽ ab hominibus aqua mulsa. his verbis: τὰ δὲ μηδόλως τρέφοντα, καθάπερ τὸ ὕδωρ οὔτε καταγνοῦν, οὔτε ῥωννύναι τὴν δύναμιν ἀληθῶς ἄν τις εἴποι, πλὴν κατὰ συμβεβηκὸς ἐνίοτε.i. Quæ vero nequaquam nutriunt, quod genus est aqua, ea neq; demere, neq; addere viribus robur vere sane dicentur, nisi ex accidenti quandoq;. Ac deferre quidem per corpus alimẽtum aqua potest, alimentum præstare non potest. τὴν γὰρ ὑγρασίαν, vt idem testatur ibidem, τῆς τροφῆς ὄχημα, καὶ οὐ τροφὴν, οὐ μόνος ὁ Ἱπποκράτης, ἀλλὰ καὶ σχεδὸν ἅπαντες οἱ ἄριστοι τῶν ἰατρῶν ἀπεφήναντο.i. Humiditatem enim ipsam alimenti vehiculum esse, non alimentum pronuntiauit non Hippocrates solum, verum etiam medicorum optimus quisq;. Quod si tamen videtur aliquando Hippocrates, vt ibidem paulo post facit, nonnullam ei concedere alendi facultatem, id quo modo accipiendum sit apertum mox facit Galenus hoc modo: ἐγχωρεῖ δὲ διὰ τὸ τὴν ξηρότητα τοῦ σώματος τῆς γαστρὸς ἐπιτέγγεσθαι διαρκεῖν ἐπὶ πλεῖον τοὺς πίνοντας ὕδωρ τῶν μηδόλως προσφερομένων.i. Porro fieri potest vt quoniam corporis ventriculi inde humescit ariditas, eo longius perdurent, qui aquam potarint, q̃ qui nequaquam eam assumpserint. Ergo minime nutrit aqua, sed quo nomine corporis interdum ariditatem corrigit, temperamẽtoq; id æquat, hactenus ægrotantium vires reficere cre-

di poteſt. Vnde natam quoq; opinionem puto quorundam, qui clyſteres nutrire aſſeuerent, non illi quidem vt alant re vera, (quis enim id admittat dum quidem in inteſtinis permanẽt, non etiam ad ventriculum feruntur: quod quã=quam rarẽter, interdum tamen fiet.) ſed ꝙ quũ ex intemperie periclitantes partes eas ad tempe ramentum plerunq; reuocarint, auxilium præ=ſtitiſſe viſi ſint. Atqui Athenæus libro dipno=ſophiſtarum ſecundo (libet enim in iſta interdũ excurrere) ſine controuerſia aquam nutrire di=xit, argumento ꝙ inde cicadæ victitent, his ver bis: ὅτι δὲ τὸ ὕδωρ ὁμολογουμένως ἐστὶ τρόφιμον, δῆλον ἐκ τοῦ τρέφεσθαι τινὰ ἐξ αὐτοῦ μόνου τῶν ζώ=ων, ὥσπερ τοὺς τέττιγας. i. Porrò ꝙ aqua manife ſte alendo ſit, inde patet, ꝙ animalium nonnul=la ea vna alantur, ſicuti cicadæ. Reliquorũq; dehinc multorum exempla adfert, quos nemo non nutrire fateatur, in quo homo, vt fortaſſe φιλιατρὸς quidam, ita legitime certe medicinæ idiota, longe opinione ſua fallitur. Nam vt ani mantium fortaſſe quorundam alimentum ha=beatur aqua, quod tamen an verum ſit non eſt nunc definiendi locus, Galeno certe autore pri mo de elementorũ ſecundũ Hippocratem, ele=mentorum nullum purum quidem, vtpote ſim plicius compoſita animalium corpora nutrie=rit, quando ei quod nutrit, cum eo quod nutriẽ dum ſit, conueniat neceſſe eſt. Sed vt conceda=mus nutriri aqua cicadas poſſe, nõ ſtatim ſequi=tur hominis eam quoq; eſſe alimẽtum, ꝙ in eo=

rum quæ respectu mutuo quodam dicũtur, nu-
mero continetur. Deinde non videt is rore ve-
rius q̃ aqua nutriri eas, qui aqua mixtus magis
compositiorq́; est. Sed omissis his, illuc vnde di
gressi sumus, redeundum. Quum hoc pacto di-
lui posse dictorum repugnantiam dicebamus,
si particulas corporis solidas humidas quidem
reddi aqua concedamus, qualitate scilicet illius-
scemodi tantum, alimoniæ autem humiditatẽ
ꝑuenire inde posse negemus, quæ diuersi pror-
sus generis cuiusdam sit. Verisimile autem pe-
nitus est de hac eum humiditate sensisse, quip-
pe qui aphorismum exponeret eum, in quo ci-
bo plurimo quieteq́; humectanda esse corpora
iubeat Hippocrates, quæ elleboro sumendo
præparentur. Sed incidit hoc loco scrupulus,
faciunt autem eum Galeni verba in libello de
marasmo, quæ ita habẽt: καὶ γὰρ τὸ λουτρὸν τῶν
ὑγραινόντων ἐστὶ, καὶ ἡ μαλακὴ κοίτη, καὶ ὁ ὕπνος, ἡ
δὲ τροφὴ πρώτη καὶ μάλιστα. μόνη γὰρ αὐτὴ μέρος γί-
νεται τῶν τρεφομένων σωμάτων, ὁμοιουμένη ταῖς οὐ-
σίαις αὐτῶν. ἕκαστον δὲ τῶν ἄλλων, ἢ τῷ κωλῦσαι ξη-
ρανθῆναι σφοδρότερον τὰ ὁμοιομερῆ, ἢ τῷ τὴν ἐν ταῖς
μεταξὺ χώραις αὐτῶν ἐπιτέγγειν τε, καὶ αὐξάνειν ὑ-
γρότητα τῆς τῶν ὑγραινόντων μετείληφε προσηγο-
ρίας τε καὶ δυνάμεως. i. Inter ea enim quæ hume
ctãt balneum quoq́; numeratur, stratumq́; mol
le, & somnus: in primis autem præq́; omnibus
alimentum, quippe quod vnum enutriti corpo
ris pars euadat, eiusq́; assimiletur substãtiæ. Re-
liquorum autem vnumquodq́; humectantium

nomẽ obtinet ac vires, vel ꝙ ſimilares partes vehementius exiccari prohibeat, vel ꝙ in eorũ interclusum ſpatijs humorem irrigent, atq; etiam augeant. Quod ſi dum aphoriſmum exponeret, quietem ab humectandi facultate minime reijcit, ꝙ ea, quamuis ex accidenti, humectet tamen: eodem ſanè modo neq; aquam reiectam oportuit, ꝙ hoc loco eodẽ autore dulcis aquæ balneum idem præſtare videatur, quod molle ſtratum, quod ſomnus: quorum vtrunq; quietis genere continetur. Sed illud animaduertendum, ꝙ & ſi humectare hæc omnia dicta ſint, alio tamen adhuc mõ molle ſtratum ſomnusq;, atq; alio balneum id præſtant, ſiquidem in ſtrato molli quietis tantum ratio ſpectetur: in ſomno autem hæc quoq; quidẽ in primis, ſed aliud tamen præterea quiddam notetur, ꝙ ſcilicet caloris ad pręcordia, inteſtinasq; partes reuocatione valentius cibos conficiat, vtrũq; tamen quietis potiſſimum ratione, vt qua alimentum minime euaneſcat, humectauerit ita quidem, vt horum beneficio alatur corp⁹. Quod idem in balneo nequaquam vſu venit, vtpote quod quatenus quidem balneum humiditate tantum corpora repleat, quæ vt qualitas ſolum quædã notetur, non quæ vt alimentum, hoc tamen per ſe facit. Nã ex accidenti hoc quoq; alimoniæ ſubminiſtrare quippiam potuerit, vt quod quiete etiam conſtet: ea propter addidimus quatenus quidem balneum. Nam qua balneum dulcis nimirum aquę (de hoc enim diſſerimus hoc loco,

non de sulphureis, alijsq; id genus) nihil aliud, q̃ humectarit illo, quo diximus modo, inde factum vt postquam tria illa humectare dixisset, distinctionē deinde adnexuerit, cæterorumq; vnumquodq; præter alimentum, ea ratione humectare affirmet, aut ꝙ exhauriri alimonia similares particulas prohibeāt, vt hoc quietis sit, somni scilicet, stratiq; mollis: aut ꝙ humiditatē alioqui irrigent, addantq; quod balnei propriū sit. Sic rursus non abs re aquam inde eliminasse videri potest, dum aphorismū enarraret eū. Et quoniam in mentionem de aqua incidim⁹, illud quoq; notemus ex hoc loco licet, quū receptum in primis sit aquæ potu sitim mitigari: sicubi scriptū ab Hippocrate reperiatur, eiusq; enarratore Galeno, vt ī de rat. vic. in mor. acut. cap. de aqua, qđ ante rettulimus. Minime sitim sedare aquam, id eo tantum fieri, quia ægre ea per meat⁹ corporis feratur, ac permeet, quo potissimum nomine damnatur: alioqui sitim mire sedat, squaloremq; corporis demit, & ariditatem temperat, modo penetret, intimisq; corporis particulis sese ad profundum indat. Quod si non præstat, non continuo demenda illi sedanda sitis vis, quum hoc diuersa prorsus ratione contingat. Ideoq; fit, vt quoties vsui eam adhibemus diuersę excogitentur artes, quo penetrabilior euadat, ac modo illam modice excalfaciamus, ne rei tristioris occursu frigoris scilicet nimij, aut caloris, constipentur meatus cutanei, neq; humorem admittant: modo vino illā per-

miſceamus potui, ſed non ſupra modum, ſolius nimirum diſtributionis gratia in corp⁹. Quod Galenus faciebat loco retro citato, in libro de rat. vic. in mor. acut. ſic enim ait: ὥσπερ γὰρ ὁρμήν τινα πρὸς τὴν ἀνάδοσιν ἐφελκομένην τὸ ὕδωρ ἐπιμίγνυσθαι χρὴ τὸν οἶνον, ἐλάχιστον παντελῶς, ὡς παῦσαι τὸ ὕδωρ αὐτὸ τοῦτο μόνον εἰλικρινὲς εἶναι, οὐχ ὥστε καὶ οἶνον αὐτὸ ποιῆσαι. i. Etenim vini minimum prorſus immiſcendum aquæ fuerit, tantummodo vt diſtributionis inde ꝑ corpus, quæ aquam deuehat impetum nanciſcatur, atq; ita vt hoc ſolum aquæ dematur, ne ſyncera ſit, nō autem vt vinum tandem inde euadat. Hic vides quæſitum aquę arte hac, quod illi deerat, nẽpe vt corpus permeet caſtigatum, demptumq; βραδύπορον illud: quod quum impedimẽto ſit ne humectandi exercere ea vires poſſit, oſtẽdit nil ſane mirum rei huiuſce reſpectu Autores ſedandæ eam ſitis facultate ſpoliaſſe, ſicuti Galenus facit, qui ibidem ita ait: οὐ μὴν οὐδὲ δίψος παύει μένον ἐπιπλεῖστον ἐν ταῖς εὐρυχωρίαις τῶν κατὰ γαστέρα καὶ ἔντερα ὀργάνων τοῦ ζώου, καὶ μὴ διαδυόμενον εἰς ὅλον τὸ βάθος αὐτῶν, μήδ᾽ ἐπιτέγγον τὸν αὐχμόν. i. Sed neq; ſitim ſedat, vt quæ in organorum concauitatibus ventriculi ſcilicet, inteſtinorumq; diutius morā trahat, neq; intimis ſe horum partibus per totum inſinuet, nec iam ariditatem irriget. Quod argumẽto ſit, ſitim inde tolli, addita, vt ita dicam, penetratione. Quod ſi huic aliquid addi perſiſtentiæ poſſet, ſic vt moram ibi diuti⁹ traheret, poſtquam ſeſe

ad intimas corporis partes indidiſſet, iam illi ex
hoc abſolutus conſtaret extinguendę ſitis vſus.
Hoc enim in primis nomine ad rem hanc com
mendatur ptiſſana, de qua ſic ſcribit in libello
proprio: πλέον δὲ τοῦ ὕδατος ἔχει τὸ ἄδιψον, εἰ
καὶ τὴν ὑγρότητα ἐλαττοῦται, ὅτι καὶ τάχιον ἀναδί-
δοται, καὶ ὅτι παραμένουσαν αὐτὴν ἔχει τὴν ὑγρότη-
τα, διὰ τὴν γλισχρότητα. i. Vincit autem aquam in
ſedanda ſiti, licet humiditate ſuperetur, eo quod &
celerius diſtribuatur, & humiditatē ipſam obti
neat permanentem, ob lentorem.

Loci Galeni aliquot explicati, & cōtradictio
ne exempti de vini temperamento ſicco humi-
doque: tum ratio expoſita, declaratusque modus
quo alimentum inde corporibus ſuppeditatur.

Enantioma XV.

VIni temperamentum calidum eſſe & ſiccū,
definitur octauo de ſimplicium medicamē
torum facultatibus libro, duobus fere verſib9,
quibus quantum quidem ad hoc ſpectat, omnē
vini hiſtoriam complexus eſt Galenus, in hunc
modum ſcribens: οἶνος ἐκ τῆς δευτέρας τάξεως
ἐστι τῶν θερμαινόντων. ὁ δ' ἱκανῶς παλαιὸς τῆς τρί-
της, ὥσπερ ὁ γλαυκίνος ὀνομαζόμενος τῆς πρώτης τά-
ξεως. ἀνάλογον δὲ ταῖς θερμότησι καὶ αἱ ξηρότητες
αὐτοῦ. i. Vinum in ſecunda calfacientium claſ-
ſe locatur, bene vetus autem in tertia, quemad-
modū in prima quod muſtum appellant. porro
huius

huius caliditati proportione respōdet siccitas.

Neq; vero hic solum siccum esse vinum statuit, sed & aliquoties alibi, vt in quarto quoq; therapeutices methodi his verbis: εἰ δὲ ὑγροτέρα τοῦ κατὰ φύσιν ἡ σὰρξ φαίνοιτο, τὰ ἐναντία ποιητέον, ἐπιτείνοντα μὲν τῶν φαρμάκων τὴν δύναμιν ἐπὶ τὸ ξηρότερον, ὕδατι δὲ μηδόλως χρώμενον. ἀλλ᾽ εἰ καὶ ἀποπλῦναι δέοι τὸ ἕλκος, οἶνος, ἢ ὀξύκρατον, ἢ ἀφέψημα πόας αὐστηρᾶς παρασκευαζέσθω. i. Quod si caro naturali esse humidior videbitur, faciendum contrarium, vt medicamentorum quidē viribus cōtendas ad siccius, aqua autem nequaquam vtaris. Quin si quando abluendū vlcus, vinum ad id commode parabitur, aut oxycratum, aut herbæ austerę alicuius decoctum. Sic vt Galeno vinū hoc loco exiccet, è diuerso aūt in primo de tue. sani. ꝙ humecta nimis reddat corpora reijcitur, his verbis: οἶνον δὲ τὸν οὕτω πεφυκότα παῖδα μέχρι πλείστου μηδόλως γεύειν. ὑγραίνει τε γὰρ ἱκανῶς, καὶ θερμαίνει τὸ σῶμα πινόμενος οἶνος. i. Sic autem nato puero vini vsus ad multum temporis denegandus, ꝙ corpora calida abūde atq; humida faciat vini potus. Et mox quum de vini vsu loqueretur, quem iuuenilis inde ętas sentiat: οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ εἰς τὴν ἐν αὐτοῖς τοῖς στερεοῖς ὀργάνοις τοῦ ζώου γινομένην ξηρότητα, διά τε πόνους ὑπερβάλλοντας, ἐστὶν ὅτε καὶ διὰ τὴν οἰκεῖαν τῆς ἡλικίας κρᾶσιν ἐπιτήδειος οἶνος, ὑγραίνων μὲν, καὶ ἀνατρέφων ὅσ᾽ ἀμέτρως ἐξήρανται. πραΰνων δὲ τὸ δριμὺ τοῦ πικροῦ χυμοῦ, καὶ δι᾽ ἱδρώτων τε, καὶ οὔρων ἐκκενῶν. i. Nec sanè minus cōmodus

vini vſus ſiccitatis in ſolidioribus ipſis animan tis particulis factæ, ob laborum exceſſum, ſiue etiã ob familiare interdum ætatis temperamen tum, quippe quod quæcunq; nimis exaruerint humectet quidem nutrimẽtoq; reficiat. Sed & amaræ bilis acrimoniam mitiget, ſudoreq; hãc, & per veſicam expellat. Satis ſit notãdæ qui- dem contradictioni, loca hæc Galeni recenſuiſ ſe. Nam qui de vini ſcripſere natura, tẽperamẽ- toq; nuper, δολιχὸν ἐπὶ τούτοις ἐπέτειναν τοῦ λό- γου vt audio, hos ſpes eſt intacti nihil prætermi ſiſſe, quorũ mihi ſcriptorum quam nulla eſſet in præſentia copia, parum abfuit quin rem to- tam ampliauerim, ad alioſq; reiecerim indices. Quod ſane` facturus fui, niſi aliud eſſe vidiſſem vini hiſtoriam contexere, deq; eius natura, tem peramento, viribus diſputare: atq; aliud pugnã tia inter ſe Galeni de hoc dicta, quantum in no bis eſt, conciliare, quod hoc tempore facimus. Itaq; ſatis ſit, quod dixi, citatis paucis quibuſdã ad hoc locis, rem breuiter tranſegiſſe omnem. Primum igitur illud in aperto apud omnes eſſe debere video de vini temperamẽto perinde di- ſputandũ, atq; de oleo, acetoq; Galenus facit in libro de ſimplicium medicamentorum faculta- tibus, aliiſq; id genus medicamentis. Quemad- modum igitur quum de oleo diſſereret, diuer- ſas huius cõſtituit differentias, quarum ipſe ex- periretur vires: idem dicendum de vino exiſti- mo, cuius eadem fere` atq; olei diſcrimina ha- beantur, quæ ex ætate ſumũtur, præparationis

modo, maturitate etiam, & mangonio, quorũ discriminum omnium quodlibet per se separatimq; potest q̃ nã vires sint declarare. Quoties tñ de vino simpliciter ita disputatur, vinũ intelligatur necesse est quod syncerum sit, nec mangonicæ quicquam fraudis expertum, aut alioqui medicatum, aut marinæ alterius'ue aquæ mistura infectum sit, aut picatum, aut alia huiusmodi conditura nobilitatum, de quibus fusius rei rusticæ autores pertractent. Porrò huiuscemodi vinum simplex purumq;, Galeno semper calidum est, modo vinum sit, hoc est, modo maturuerit. Nam omphacium tam vinũ sit, q̃ꝫ omphacinum oleum, ꝙ vtraq; nomine tantum ita esse dicantur, re autem tantum absint quantum maturitate quoq; distant. Calidum igitur vinũ quodcunq;, etiam musteum: & quantum caliditatis, siccitatis etiam tantum obtinet. Sic enim arbitror intelligendum verbum ἀνάλογον in de simplicium medicamentorum facultatibus, id quod de vino tantum dicitur vt medicamento: nam vt corpus alit, hactenus quidem haberi humidum debet, ꝙ humidum ferè alimẽtum sit. Porrò minime inconuenit, vt latissime tertio de temperamẽtis libro disputabat Galenus rem eandem vsui adhibere, & vt medicamentum, & vt alimentum, quod lactucę in primis exemplo probet, quæ ipsa refrigerare primum consueuerit: at quum à calore penitus confecta naturali fuerit, inq; alimentum abierit, hac quidem ratione colorem auxisse dici possit, ꝙ sanguinis

copiam auxerit, vt iam transferri eodem exemplo ad vinū ratio hæc tota possit, & rectissime, nisi fallor, accommodari. Quid enim prohibet quo minus hoc quoq; quousq; à calore minime vincitur naturali desiccet, partim quidem intro sumptum: Sed quod potissimum tamen notetur in deforis admoto, quod ipsum, vt eodem in loco dicebatur, etiam si dies noctesq; diutissime extrinsecus corpori adhęreat adhibitū, nunquam tamen mutari in alimēti speciem possit, tametsi omnium maxime citissime alimentum de se corporibus præstet epotum. Hoc itaq; tēpore semper siccabit vinum. At quum calor idnatiuus ita deuicerit, vt ad nutrimenti formam deducat, nihil sanè, quantum quidem mihi videtur, videri mirum debet, si quum in alimentum euaserit, ac nutrire cœperit, humectare dicatur, quod humiditate quadam alimēti totius natura ferè cōtineatur. Quamuis interim siccum dici alimentum id possit, quod ex huiuscemodi vino conflatum fuerit: sed hoc totum erit siccū alimentum, nō siccum tantum, hoc est, siccum licet alimentum sit, temperatioris id alimenti tantū respectu huiusmodi habebitur. Illud igitur non dubitarim affirmare, vinum ipsum & siccum dici posse vt medicamentum, & rursus humidum quum à calore transmutatum, vti diximus, natiuo factum alimentum fuerit, quatenus quidem alimentū humiditate semper quadam constat. Quod porrò alimentum corporibus addatur vino, nemo est qui ambigat. Iam

pridem etiam explosa à Galeno sentētia est eorum, qui hoc potus tantum nomine dignabantur, qui tamen ipsi perfacile etiam concessissent idipsum alere. De vino vt medicamento loquutus est in libro de simplicium medicamentorū facultatibus Galenus, cui potissimum rei opus id dicatum est, inq; therapeuticωn quarto aut si cubi siccare id dicat, (de quo tamen interdum vt alimēto etiam siccatorio loquatur, vt quum meracioris potu aut vigilias īduci, aut minime sedari sitim dicat) de hoc eodem pertractari vt medicamentoso tunc quoq; existimandum est, tam ab Hippocrate, q̃ à Galeno, quoties prouocando id sudori, aut expellendæ, verbi gratia, vrinæ accommodū esse aiunt, aut tale quippiam præstare posse. Sic enim scribit Galenus tertio de facultatibus alimentorū libro, quum de vino pertractaret: ἃς γὰρ ἱπποκράτης δυνάμεις εἶπεν ἐν τῷ περὶ διαίτης ὀξέων, οὐχ ὡς τροφῆς εἰσὶν, ἀλλ᾽ ὡς φαρμάκου μᾶλλον. ἐκείνας μὲν οὖν ἐν τῷ τρίτῳ εἰς ἐκεῖνο τὸ βιβλίον ὑπομνημάτων ἐξηγήμεθα, κἀν τῇ τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου πραγματείᾳ, καὶ τῇ τῶν ὑγιεινῶν. ἐν δὲ τῷ νῦν ἐνεστῶτι λόγῳ τὰς ἐν τῷ τρέφειν αὐτοῦ διαφορὰς ἐροῦμεν ἐντεῦθεν ἀρξάμενοι. i. Nā quas vino tribuit vires Hippocrates, in libris de ratione victus in morbis acutis, huic tanquā medicamento potius q̃ alimento competunt. Eas igitur in tertio commentariorum nostrorum in libros illos explicuimus, tū in opere de medendi rōne deq; sanitate tuenda. In præsenti autem sermone differētias quas

alendo ſortitũ eſt, exponemus, hinc initio ſumpto. De vino pertractaſſe ſe dicit in libris his, vt medicamento, in quibus tamen ſæpenumero de huius quoq; ipſius alimento mentionem faciat. Sed, vt dixi, medicamẽti vires eas quoq; intelligit, quibus præditum vinum eſt, nunc ſudorem expellendi, nunc mouendæ vrinæ, nũc iuuandi ſputi, aut tale quippiam aliud moliẽdi: quæ præſtare de ſe omnia, vt medicamentũ poteſt, quum tamen interea à calore conuerſum naturali in alimenti formam, etiam alat. Quo tempore tametſi factum alimentum ſit, ſiccare tamen etiamnum dici poſſit: vt ſi piger, verbi gratia, aut anethum, aut menta, aut origanum, aut tale quodpiam alimentum pręſtare corpori ſiccum dixerimus, poſtquam in alimoniæ iam ea formã verterit natiuus calor. Quod ſane facit, vt minime adhuc hoc quidem pacto ĩter ſe cõueniet ijs, quę rettulimus Galeni dictis. Neq; enim in pueris vini vſum Galenus reijcit, quo nomine ſiccum elargitur alimentum, ſed quo humectum potius: nec rurſus alia in iuuenib⁹ ratione admiſit, q̃ꝗ bene, abũdeq; humectet, quod minime certe præſtiterit ex vino alimentum meraco: quippe quod alimentum licet ſit, & hactenus quidem humectet, alia tamen etiãnum ratione exiccet, vt alia faciunt calida natura ſiccaq;, poſtquam in alimẽtum iam abierint. Quamobrem quãtum quidem ego ſentio, quũ bene humida reddi corpora vini vſu dicat Galenus, dilutũ ab eo ſemper intelligi crediderim.

Nam quod dilutum aqua erit, proculdubio ad-
mixtione tali multū amiserit ſiccitatis, vt ſiqui-
dem hac via rem diluere cōtrouerſam velimus,
facillime id hac ratione aſſequamur: vt ſiccita-
tem in vino caliditati proportione reſpondere
affirmem⁹ puro illo ſyncero q́ꝫ, id q́ꝫ haberi, quo
quaſi medicamento vtimur, vt in de ſimpliciū
medicamentorum facultatibus libris, vt in the-
rapeuticis. At dilutum quod fuerit humectum
ita demum reddatur, alendo q́ꝫ iam ſit humecte
ſatis: vti iam ſyncerum, alimentum quidem id
corporibus quo qꝫ pręſtet, ſed ſiccum: dilutum
autem alimoniam ſemper ſuggerat humidam
bene. Quod facilius admittet, qui veterum di-
luendi vinum morem animaduerterit vſitatiſſi-
mū, id quod vel Homerus ipſe notet Iliados. i.

Μείζονα δὴ κρητῆρα μενοιτίου υἱὲ καθίσα,
Ζωρότερον δὲ κέρκιρε. i.

Siſte Menœtiade maiora huc pocula, iam q́ꝫ
Purius adde merum.

Meracius inquit admiſce. i. ζωρότερον, minime
profecto ſic dicturus niſi aliæ præterea haberē-
tur vini miſturæ, vt Athenæus notat libro dip-
noſoph. primo his verbis de Homero loquēs:
καὶ κράσεων δὲ γένη διαφορὰ ἐπίσαται. οὐκ ἂν γὰρ
ἀχιλλεὺς τὸ ζωρότερον κεραίρειν δεῖν ἔλεγε, μὴ οὔ-
σης τινὸς καθημερινῆς κράσεως. i. Idē diuerſa quo-
que miſturarū genera nouit. Neqꝫ enim Achil-
les miſcendū meracius dixiſſet, niſi quottidia-
næ cuiuſdam mixtionis vſus haberetur. Col-
ligas hinc licet, ſicuti ex alijs quoqꝫ diuerſorum

autorum dictis, quę non attinet hoc loco recenſere, apud veteres frequentiſſimam diluendi vini conſuetudinem fuiſſe, vt exiſtimandū ſit nō temere huius illos vſum præterquam diluti admiſiſſe in menſis quidem frugalibus, in quibus naturali potius appetitui, q̃ luxui aut gulæ illecebris indulgeamus. Vnde oligophori, & polyphori vocabula nata, ſcilicet ob varias aquæ ſemper cum vino admixtiones, ſicuti meri, & meracioris quum purum id ſyncerumq; ac nullo rei diuerſę additamēto notaretur, quod vſui adhibere ſoliti eſſent, quoties aliud q̃ naturalis appetentiæ deſyderium ſequerentur, vt quum conuiuij inde hilaritatem, aut gulæ alioqui irritamenta huiuſmodi, aut ſiccandi etiam aliquādo vſum quærerent. Nam quum alendi corpuſculo neceſſitati tantum conſulerent, aut extinguendæ ſolum ſiti quod ſatis eſſet, adhiberent, totus in hoc, vti diximus, dilutioris vini conſtabat vſus, quod hodieq; Itali Hiſpaniq; factitēt. Nam cæteræ nationes quædam, quibus cum aqua tam conuenit, q̃ cani cū balneo, (vt ī prouerbio eſt) pro ſceleſto habent propemodum, ſi quis rei penitus diuerſę atq; adeo inimiciſſimę, vt illi exiſtimāt, mixtione vinum inficiat. Vſq; eo autem meracioris vſus rarus fuit antiquis, vt vel Galenus ipſe non ſit veritus etiam in frigidiſſimo affectu, qui omnium maxime videatur expoſcere meracū, aquæ nonnihil addere. Certe miſturam appellat libro de tēperamentis medicamentorū ſimpliciū tertio his verbis: τοιοῦ-

τος οὖν οἶνος τῇ φύσει, καὶ παλαιὸς τὴν ἡλικίαν, ἀ-κρατέστερος κεραννύμενος ἰᾶται καὶ τοὺς ἤδη κατε-ψυγμένους, οὐχ ὑπὸ μήκωνος ὁ ποῦ μόνον.i. Vinũ itaq; natura ac vetuſtate tale, meracius commi-xtum vel iam perfrigeratos ſanat, nõ ſolum ob papaueris ſuccum. Porro` vinũ ſic attempera tum ἄκρατον tamen vocant, Galeno teſte ſecun do progn. καὶ γὰρ οἶνον ἄκρατον εἶναι λέγομεν, ᾧ μὴ μέμικται τὸ ὕδωρ, ἢ παντάπασιν ὀλίγον μέμι-κται.i. Etenim ſyncerum vinũ appellamus, cui aut nihil aut pauxillum omnino quid admixtũ aquę fuerit. Quo verbi ſignificato vſus videt̃ Ariſtophanis interpres in equitib⁹ his verbis: αἰρομένης τῆς τραπέζης μετὰ τὸ δεῖπνον, ἄκρατον περιεφέρετο, καὶ ἐκαλεῖτο ἡ κράσις, ἀγαθοῦ δαίμο-νος. hoc eſt, Sublata menſa a` cœna circunfere-batur meracius, quam plane` mixtionẽ, Genij felicis vocabãt. Accedit Plinius grauiſſimus teſtis, qui ita ſcribat libro naturalis hiſtoriæ de-cimo quarto: Ægyptus quoq; e` fruge ſibi pot⁹ ſimiles excogitauit, nullaq; in parte mundi ceſ-ſat ebrietas, meros quippe hauriũt tales ſuccos, nec diluendo, vt vina mitigant. Eo ꝙ nunquã non diluerentur vina ſic certe protulit ſenten-tiam hanc autoris, prorſus vt quum aliquis ni-hil omnino aut parum dilutum potaret, potio-nem hãc ſcythicam vocarẽt, vt Athenęus libro dignoſophiſtarũ decimo teſtatur: καὶ προελθὼν τὴν ἀκρατοποσίαν σκυθικὴν καλεῖ πόσιν. Ex quo ẽt loco diuerſos colligas vini mixtiones apud an-tiquos, frequentiſſimas aũt eas, quæ trito in pri

mis prouerbio circunferebantur, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα. i. aut quinq; bibẽdum, aut tria, aut non quattuor. Postremam quidẽ hanc mixtionem vt dilutam nimis non probabant, tria autem aquæ pocula cum vini vno crebro miscebant, οἱ δ᾽ ἐπιτεταμένως, inquit, χρώμενοι τῷ ποτῷ δύο οἴνου ἔπινον, πρὸς πέντε ὕδατος. i. Qui vero intentius vtebant̃ potu, vini cyathos duos cum aquæ quinq; potabant. Erat adhęc mixtio illa æquis vtriusq; portionibus constans, cuius aliquãdo meminit Hippocrates, post quam in maiorem iam vini portionem degenerabat mixtio, sic tamen nunquam vt nihil omnino adderetur aquæ vsitatissime quidem. Nam si quãdo tamen ita accideret, vt aut nullatenus omnino, aut parum certe dilueretur, scytharum id, vti diximus, more fiebat tantum. Ad hunc plane modum, quum dilutionis semper vini vsus constaret veteribus, bibendo quidem, eidem non inepte humectandi quoq; vim tribuere. Ergo primo de tuẽda sanitate, Galenus quoq;, aut sicubi vinum bene humectare testatur, par est vt de dilutiore semper loquatur, q̃ huiusmodi fere esset assiduus ac quottidian9 illius vsus. Hanc rerum distinctionem apertissime ex Galeno notes libro de locis affectis secũdo sub calcem, ad hunc modum scribente: καὶ τί δεῖ μνημονεύειν ἰσχυρῶν φαρμάκων, ὁρῶντας ὁσημέραι τὰς μὲν θριδακίνας, καὶ τὰ τῶν ποτίμων καὶ θερμῶν ὑδάτων λουτρὰ, καὶ οἴνου πόσιν ὕδατι μετρίως κραθέντος ὕπνον ἐργαζόμενα, καθάπερ γε καὶ τ᾽ ἄλλ᾽ ὅσ-

σα πέφυκεν ὑγραίνειν τε καὶ ψύχειν, τὰ δ᾽ ἐναντία πάντα τὰς ἀγρυπνίας. κατὰ τοῦτο γέτοι καὶ ἡ λεπτὴ δίαιτα, καὶ ὁ ἄκρατος οἶνος ἀγρυπνιτικά. πολὺ δὲ δὴ μᾶλλον ὅταν ὁ ἄκρατος οἶνος ᾖ φύσει θερμὸς, ἢ παλαιὸς ἱκανῶς. i. Cæterum quid attinet medicamentum meminisse vehementium, quum inspicere quotidie liceat ex lactucis, aquarūq; calidarum, & quæ bibendo sint, balneis, tum vero vini potu modice aqua diluti, quemadmodum ex alijs quoq; quæcunq; frigefacere simul ac humectare consueuerunt, somnum conciliari: Sicuti certe ex contrarijs omnibus vigilias: Ad quem sane modum extenuans quoq; victus ratio, vinumq; meracum vigilandi consuetudinē inducunt, tunc præcipue quum meracius vinū natura calidū, beneq; vetus fuerit. Post quæ Galenus verba seruuli historiam rettulit grammatici cuiusdam, qui vini antiqui haustu nimis largo post diutinas vigilias delirio etiam correptus perijt. Simile quiddam vsu sibi quoq; aliquando venisse meminit, in quarto commentariorum de ratione victus ī morbis acutis, pene in libro ipsius aditu sic inquiens: (sed licet paucula præterea indidem verba adscribere nō parum ad rem facientia) ἐὰν μὲν οὖν ὡς τῇ συστάσει φύσιν ὑγρὰν ἔχωσιν, οὕτω καὶ τὴν δύναμιν ὑγραντικὴν αἱ εἰς τὰς ξηρανθείσας φλέβας ὑγρότητες ἐνεχθεῖσαι, τὴν κατὰ φύσιν εὐκρασίαν ἀναλαμβάνει τὸ μόριον. ἐὰν δὲ δριμεῖα μὲν ᾖ κατὰ τὴν ποιότητα, ξηραντικὴ δὲ κατὰ τὴν δύναμιν ἡ ὑγρότης, ἐκπυροῦται τὸ σῶμα. καθάπερ εἰ καὶ ἡμῶν τις αὐτῶν διψήσας ἐκ-

πίῃ χανδὸν ἢ οἶνον τεθαλασσομένον, ἄκρατον, ἢ ὕδωρ ἄλμυρον, ἐγὼ γοῦν οἶδα καὶ αὐτος ποτὲ ἐξ ὁδοιπορίας θερινῆς διψώδης γενόμενος, εἶτα πιὼν οἴνου παλαιοῦ κύλικα μίαν ἀκρατεςέρου, βραχὺ παραυξήσας μᾶλλον ἢ παύσας ἐπ᾽ αὐτῇ τὸ δίψος. hoc est, Quod si igitur, quemadmodum substantia naturam obtinent humidam, ita humectantem quoque sortitæ fuerint qualitatem humiditates, quæ per arefactas venas distributæ sunt, temperamento inde suo restituitur particula; in qualitate quidem acris sit, viribus autem exiccet humor is ignis modo, concalescit corpus, non secus ac si nostrum aliquis siticulosus, largo auidoque haustu, aut vinum potet marina aqua admixtum sic purum, aut salsilaginosam aquam. Ipse aliquando memini quũ siti infestarer æstatis tempore ex itinere contracta, viniq; veteris calycem exiccassem paulo meracioris, sitim mihi ob id adauctam potius quã sedatam. Non potuit, vt mihi quidem videtur, clarius, apertiusque Galenus vini notasse discrimen diluti & non diluti, quum in libris de locis affectis manifeste diluto somnum conciliari testetur, quod signi sit humectandi id vi pollere: non diluto autem vigilias excitari, quod rursus ostendat siccatoriam esse meracioris huiusmodi vini facultatem: in commentarijs item libro de ratione victus in morbis acutis alterum clara testatur voce, ex meraco ac nõ diluto vino sitim augeri potius quàm sedari: alterum tacitus innuat, nempe ex diluto sedari, quod ratione apertissima colligatur.

Quin causas q̄ meracioris potu minime extinguatur sitis, cōtraq́ incrudescat potius, in sicciorem vini, id genus facultatem reijcit prorsus, vt confirmari hinc quod diximus possit argumento nec obscuro, nec dubio, siccandi nimirū vires vino tribui non diluto debere, vt humectandi diluto. Sicq́ Galeni autorumq́ de eo scribētiū intelligēda dicta, quoties nūc siccari nūc humescere vini vsu corpora affirmant: quēadmodum sane in expositionibus quoq́ secundo de ratione victus in morbis acutis libri. Quo loco puri, dilutiq́ vini noxas refert ex Hippocrate, & hūc quidem ventri superiori humiditatem, atq́ imbecillitatem addere dixit, sicuti flatulentiam inferiori: illum vero temporum facere palpitationem, capitisq́ grauitatem, ac sitim: οὗτος μὲν τῇ θερμότητι ταῦτα ἐργαζόμενος, ὁ δ' ὑδαρὴς τῇ τ' ὑγρότητι, καὶ τῇ ψύξει τἀναντία. i. Atque hoc quidem purum scilicet caliditate id facit, aquosum vero frigiditate, & humiditate cōtrariū præstat. vt aquosum hic dilutum accipiamus, prius nanq́ ἄκρατον dixerat. Nam q̄ diuersum omnino ab hoc scribi videatur à Galeno tertio de locis affectis libro, minime vero id diuersum, siquidē recte vt habet, introspiciatur. Sic enim ait: τά τε γὰρ λουτρὰ πάντας ὑπνώδεις ἐργάζεται τὴν κεφαλὴν ὑγραίνοντα, καὶ οἴνου πόσις ἄκρατος, καὶ ὑγραίνουσαι τροφαὶ πᾶσαι. i. Etenim balnea quoq́ ipsa somniculosos cunctos reddunt humecto capite, viniq́ potus purus, tum vero alimenta quæcunq́ humectant. Perinde

vini potionem puram humectare dixit, nõ quæ
si meracioris vini potio id præstet, sed quod di-
lutioris scilicet vini potus, pure solumq; adhi-
bit⁹ humectet. Quod fit, quoties nihil aliud q̃
potamus, aut large certe potamus, aquilæq; se-
nectam, vt dicitur, referimus, bibaces magis q̃
edaces: ideoq; οἴνου πόσις ἄκρατος, dixit non aũt
οἴνου ἀκράτου πόσις: quod si dixisset, pugnantia
profecto dixisset. Nunc sententiæ vtriq; conue
nit. Hoc enim verborũ sensu recte opinor pro-
nuntiaueris in hunc modum, οἴνου ἱκανῶς κεραν-
νυμένου πόσις ἄκρατος ὑγραίνει. i. Vini quod sa-
tis sit diluti potio pura synceraq; humectat. Sic
igitur absoluto sermone, quottidiano vini vsu
humida potius reddi corpora pronuntiant, vt
primo de tuenda sanitate Galenus, cp nullus nõ
ad quottidianum huius vsum aquam adderet,
id quod præter ea quæ superius rettulimus, etiã
Galenus subindicet ipse libro de tuenda sanita
ta quarto his verbis: παραπλήσια γὰρ μοὶ δοκοῦ
σιν οἱ τοιοῦτοι ποιεῖν, τοῖς ἀξιοῦσιν ἅπαντας τοὺς πί
νοντας ὡσαύτως κεραννύναι τὸν οἶνον τῷ ὕδατι, μὴ
γινώσκοντες ὡς ἔνιοι μὲν ὑδαρέστερον εἰθισμένοι πίνειν
εὐθέως πλήττονται τὴν κεφαλὴν, εἰ καὶ βραχὺ τὶς
αὐτοῖς ἀκρατέστερον κεράσειεν. ἔνιοι δὲ ἀκρατεστέρῳ
χαίροντες ἀνατρέπονται τὸν στόμαχον, ὑδαρέστερον
πόντες. i. Etenim simile quiddã facere mihi vi-
dentur hi, ijs qui ad eundẽ semper modum de-
bere censent quicunq; bibunt vinum aquæ ad-
miscere, nescientes nõnullis dilutius potare so-
litis, caput statim tẽtari, si quis paulo modo me-

racius his propinarit. Alijs rursus qui meraciore gaudeant, subuerti ventriculū dilutiore epoto. Iam vides plus licet alios minusq̧ cōsuesse tamen, tūc omnes vinum aqua diluere: Qua in re animaduertendum aliquod interim reperiri vini genus posse, cuius vel diluti nullus tamen adhuc aut sedandæ sitis, aut suggerēdæ humidioris corpori alimoniæ vsus constet, quippe quod nisi bene abundeq̧ diluatur, exiccare etiamnum possit: quale fere` homericum Maromium est, de quo sic scribit Odyss. 1.

τὸν δ᾽ ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρὸν,
ἓν δέπας ἐμπλήσας ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα
χεῦ᾽, ὀδμὴ δ᾽ ἡδεῖ᾽ ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει
θεσπεσίη. i.

Melliflua hinc biberet rutili quū pocula vini,
Vnum ex hoc explens, aquei vigena liquoris
Addebat, gratum at crater spargebat odorem,
Præcipuumq̧.

Tale vinum, quod & vinosum appellāt, largiore aquę mixtione vincatur, quasiq̧ dometur necesse est, siquidem iustum quæratur dilutionis temperamentum. Quippe polyphorum inde quoq̧ dictum, ꝙ multum aquæ admixtum ferat: sicuti e` diuerso ὀλιγοφόρος οἶνος, hoc est, pauciferum vinum, quod paucula aquæ additione dici modice dilutum possit. Quo fit vt ob varia vini genera, alia alijs conueniat mixtio, semper tamen verum id in vniuersum habeatur, cōmuni quottidianoq̧ potandi vsui dilutum adhiberi vinum oportere. Sic porro` larga aquę admi-

xtione dilutum fiat vinum vinoſum, illud dilu-
tũ vt recte dici vereq́ʒ poſſit, quod niſi aſſequat
ſiccando potius ſit, q̃ʒ humectãdo. Nam quod
ſponte ſua & naturali quadã lege obtinet vinũ
pauciferum, vt propè ad aquæ accedat naturã,
id niſi vinoſum aquæ largioris adipiſcatur mi-
xtura, bibi vtiliter non poſſit, ſedandæ quidem
ſiti, aut alias enutriendis humidiore alimento
corpuſculis. Sic autem proxime ad aquæ acce-
dit naturam pauciferum vinum, vt vinũ tamen
adhuc ſit. hoc eſt, vt calidum adhuc & ſiccũ ſit,
ideoq́ʒ diluere hoc quoqʒ ipſum neceſſe habea-
mus, ſed modice admodum, vtpote quod pau-
cula quadam egeat aquę ad hoc mixtione, non
autem nulla: vt vel Galenus teſtatur ipſe in ter-
tio commentariorum, in libro de ratione vict⁹
in morbis acutis, quum verba illa Hippocratis
exponeret: ἀτὰρ καὶ οἴνου λεπτοῦ, καὶ ὀλιγοφόρου,
καὶ ἀνόσμου. i. Sed & vini tenuis, & pauciferi, &
inodori. Quo loco vocabulum oligophori
explicans ſic ait: καλεῖται γὰρ οὕτως ὁ τῆς τοῦ ὕ-
δατος μίξεως ὀλιγίστης χρήζων εἰς τὸ ποθῆναι. i. Sic
enim vocatur vinum, quod vt bibatur pauciſſi
ma egeat aquæ additione. Et mox: ὁ δ᾽ ὀλιγο
φόρος οἶνος ἔκλυτός τε καὶ ἀθενὴς καὶ ἄχρηστος εἰς
ποτὸν γίνεται, εἰ πλείονι κεράσειας ὕδατι. hoc eſt,
Vinum autem pauciferum exile, imbecillum,
atqʒ inutile potui redditur, ſi multa id diluas a-
qua. Qua quidem in expoſitione librum li-
cet enarret, qui de ratione victus morborũ acu-
torum pertractet, videri tamẽ poteſt in vniuer-
ſum iſta

ſum iſta de pauciferi vini dilutione pronuntiaſ-
ſe, de quo eodem in loco ſic quoq; ad extremū
ſcribat: ὁ μὲν γὰρ ὑδατώδης οἶνος ὀλιγίστην μὲν ἐν
τῷ ξύλῳ τῆς ἀμπέλου μεταβολὴν ἔσχηκεν, ὀλιγίστην
δὲ καὶ τοῦ γεώδους στοιχείου τὴν μίξιν, ὥστε ὕδωρ εἶ-
ναι βραχὺ γεώδους τε καὶ θερμῆς οὐσίας προσει-
ληφὼς, εἴς τε τὴν τούτων ἕνωσιν ὀλιγίστης κατεργα-
σίας δεηθὴς. ὁ δ᾽ ἐναντίος οἰνώδης τε καὶ πολυφό-
ρος, οὐθ᾽ ὑπὸ βραχείας κατεργασίας γίνεται τοιοῦ-
τος, ὡς ἂν ἐπὶ πλεῖστον ἀφιστάμενος ὕδατος, ἀξιόλο-
γον δὲ διὰ τοῦτ᾽ αὐτὸ τὴν θερμασίαν, καὶ τὴν ὀδμὴν
ἐπικτᾶται. i. Etenim aquoſum vinum, minimū
dū in vitis eſſet ligno tranſmutationē ſortitum
eſt, terreiq; elementi admixtionem minimam,
ſic vt aqua ſit aſſumpta parua quadam terreſtri,
calidaq; ſubſtātia, quodq; ad horum vnionem
minima opus haberent concoctione. Contra-
rium autem vinoſum ſcilicet & multiferū, neq;
pauca id concoctione tale euadit, vt quod pluri
mum ab aqua diſtet, & ob id ipſum pręterea ca
liditatē adipiſcitur inſignē, atq; odorē. Quæ
ſane Galenus non eo dixit vt vinum huiuſmo-
di aquam eſſe crederet, non enim ſic μαίνεται,
ſed vt quemadmodum vinoſum longiſſime ab
aquę ipſius natura recedere, ſic hoc proxime ac-
cedere doceret: & hactenus quidem fere aquā
id eſſe dixit, cui ſane minime fugiat calidum id
etiamnum & ſiccum haberi, humani quidem
temperamenti collatione, quod illi facile con-
ciliet caliditatis illa quanquam leuis acceſſio.
Nam quod de vinis tradunt Ægyptijs nōnulli,

de quibus etiam Galenus meminerit inter oligophora, hoc eodem commentariorum libro in verborum enarratione: προξυνιέναι δὲ δῶ, ὅτι τὰ μὲν ἄνω πάντα. i. Illud autem antea conſyderandũ, ꝙ ſuperiora omnia. Frigida ea haberi perinde intelligēdum, ac quum leonem aut canem frigidum dicimus, nempe eiuſdem generis ſpeciei'ue temperamēti comparatione, quæ nihilominus ſi cum homine conferantur temperato calida ſint. Ad eundem modũ vina huiuſmodi paucifera, quale Ægyptiũ quoqꝫ illud eſt, aliaqꝫ id genus quamplurima, quę Galenus eodem quidem ĩ loco, ſed & alibi ſæpe enumeret, quoties frigida eſſe dicentur, in eam partem dictum accipias, vt πρὸς τὸ σύμμετρον ὁμογενὲς ἢ ὁμοειδὲς tale habeatur. hoc eſt, eiuſdem generis aut ſpeciei cum re temperata, ſine media comparatione. Cui ſententiæ nihil quidē reclamet calida rurſus ad humanæ ſpeciei temperamentum collata eſſe poſſe, tametſi hæc ipſa vina cũctanter potius quidam, non autem dubio procul omni frigida eſſe affirment. Sed & Macrobius ipſe rerum harum, quod facile eius opera præ ſe ferunt, non quidem prorſus imperitus, φιλιατρὸς certe, autoritatisqꝫ apud eruditos receptæ, ſic de eo ſcribit libro ſaturnaliorum ſeptimo. Dum de calore loquimur, admoueor rei quam ſemper quæſitu dignam putaui, cur in Ægypto quæ regionum aliarũ calidiſſima eſt, vinum non calida, ſed pene dixerim frigida virtute naſcatur. Pene dixerim frigida ait, vt ex

hoc frigida certe minime esse conuincas: sic calida vina omnia, plus tamē alterum altero quis negat? calida tamen temperamenti, quod sæpe iam diximus, humani comparatione idq; facultate talia: & quātum calida, tantum proportione quadam sicca. Quod de vino intelligatur dictum puto synceroq;, aut etiam de vinoso satis, non quod satis sit diluto. Vini porro siccandi vis hæc vt medicamenti habetur: nam quum à calore superatum nostro in alimentum cesserit corpori, humidum sane redditur quatenus, hac fere natura alimentum contineatur: sic tamen vt alimentum huiusmodi siccum etiamnū (vti diximus) appellari merito possit. Bene autem humidū ac magis iam magisq; tale fuerit, prout plus minus'ue aquę quum hac ipsa diluitur, admiserit. Quo plane fiat, vt quum non temere alterius quā diluti vini vsus veteribus quidem constiterit, abunde humida inde reddi corpora pronuntiarint: in quo tamen sic disputo magis vt ampliandum mihi esse censeam, quā sententiam ferendum, ob doctissimorum hominum autoritatē. Qui, vt audio, eruditissime, lucidissimeq; nuper de re hac disputarunt, ad quos tanquam ad iudices ἀδεκάστους quosdam non hanc solum nostram de vino disputatiunculam, sed etiam reliqua omnia reiecta volo.

Vini dulcis notatum discrimen ex colore, tū sublatū è medio dissidiū super hoc, intra decimū propè expositionis eiusdē versum, ortum,

Enantioma XVI.

DE vini vſu ĩ morbis acutis quum ſcriberet Hippocrates tertio de ratione victus ĩ morbis acutis libro, ita ait: κιῤῥῷ δὲ οἴνῳ, καὶ μέλανι, αὐστηρῷ ἐν ταύτῃσι τῇσι νούσοισι ἐς τάδ' ἂν χρήσαιο .i. Vini porrò tũ fului, tũ nigri, auſteri vſum in morbis huiuſmodi ad hęc adhibeas. Quæ ſanè verba, quæq; hæc ipſa ſequũtur reliqua, Galenus exponens ita ſcribit: ὁ μὲν γλυκὺς οἶνος εὐθὺς καὶ μέλας ἐστὶν, οὐ μὴν ὅ γε μέλας εὐθέως ἅπας καὶ γλυκὺς, ἀλλ' αὐστηροί τινες ἐξ αὐτῶν ὑπάρχουσι .i. Vinum dulce continuo nigrũ quoq; eſt, nõ tamen fit vt nigrum ſtatim quodcunq; dulce ẽt ſit, quando ex his auſtera quædam inueniãtur.

Hoc planè loco verba illa: Vinum dulce cõtinuo nigrum quoq; eſt, affirmare videntur prę ter nigrum nullum reperiri aliud dulce vinum poſſe. Cuius ſententię quaſi oblitus poſt verſus circiter decem, inq; eodem cõmentationis eiuſ dẽ capite diuerſam protulit, his verbis: διττὸς γὰρ ὁ κιῤῥὸς ὥσπερ καὶ ὁ μέλας, ὁ μὲν γλυκὺς, ὁ δὲ αὐστηρὸς, ὄντος καὶ τρίτου παρ' ἑκατέρῳ ἐξ ἐπιμιξίας ἀμφοτέρων τῶν ποιοτήτων. ἀλλ' ὅ γε μίαν ἔχων ποιότητα διττὸς ἐν ἑκατέρᾳ τῇ χρόᾳ. i. Siquidem duplex etiamnum fului (nempe vini) diſcrimen ſpectatur, quemadmodum & nigri, hoc quidẽ dulce, illud vero auſterum, quum præter vtraq; hæc tertium etiam inuenias qualitatis vtriuſq; particeps. Quod vero vnicam ſortitũ eſt qualitatẽ, duplex in utroq; colori diſcriminę viſitur.

Ergo non continuo ſequitur, ſi quod dulce vinum ſit, neceſſario id nigro quoq; præditum eſſe colore debere, quum ex vinis etiam iјs quæ fuluo ſpectantur colore nōnulla dulcem guſtu ſaporem referant, (niſi ſi controuerſiam hāc dirimamus hoc pacto, vt dicamꝰ dulcia vina quæ quidem inſignite talia ſint, ſaporemq; hūc exactum ſyncerumq;, &, vt ita loquar, melitiſſimū illum retineant, ea fortaſſis nigro quoq; conſtare ſemper colore: at fulua quæ habētur ſub dulcia potius illa, ſi cum his conferantur, eſſe. Quę quantum colore à nigris recedant, tantum dulcedine quoq; degenerēt.) faciunt ita vt opiner verba, quæ retro Galenus ſcripſit in expoſitione verborum Hippocratis, quorum initium: ὁ μὲν γλυκὺς ἧσσόν ἐστιν καρηβαρικώτερος τοῦ οἰνώδεος.. i. Dulce minꝰ quidem q̃ vinoſum caput degrauat. Verba porro Galeni hæc ſunt: ὁ δὲ γλυκὺς οἶνος ὠνόμασται μὲν οὕτως ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν γεῦσιν ποιότητος. παμπόλλῳ δ᾽ ὕδατος ἀφώρισται κατὰ τὴν χροιὰν καὶ τὴν σύστασιν. οὔτε γὰρ λεπτὸν ἀκριβῶς, οὔτε λευκὸν ὄψει γλυκὺν οἶνον ποτὲ, ἀλλὰ μᾶλλον μὲν καὶ ἧττον ἀφεστηκότα τῶν εἰρημένων, οὐδέτερον δὲ αὐτῶν ἔχοντα. γλυκεῖς γοῦν οἶνοι διαφερόντως εἰσὶν ὁ θηραῖος καὶ σκυβελίτης, ἀμφότεροι παχεῖς τε καὶ μέλανες ὄντες. γλυκεῖς δὲ καὶ οἱ κατὰ τὴν μαιονίαν γινόμενοι ὁ θήρινός τε καὶ καρύϊνος, τοσούτῳ παχύτητί τε καὶ μελανότητι διαφέροντες τῶν εἰρημένων, ὅσον καὶ γλυκύτητι λείπονται. καὶ μέντοι καὶ τὸ καλούμενον ἕψημα καὶ σίραιον ἐκ τοῦ γλεύκους ἑψομένου γιγνόμενον, ὅσῳ γλυκύτερον ἀ-

ποτελεῖται τοῦ οἴνου, τοσούτῳ καὶ μελάντερον τῇ χρόᾳ, καὶ παχύτερον τῇ συστάσει φαίνεται. i. Porro vinum dulce nomen quidem ſortitum eſt hoc ob guſtus ipſius qualitatem, cæterū inſigni quodam diſtat interſtitio ab aqua, tam penes colorem, q̃ꝫ conſiſtentiam. Neqꝫ enim vinum quod dulce ſit, aut exacte vnquam tenue animaduertas, aut album: verum diſtabit illud quidem à dictis iam notis magis minus'ue, neutram tamē earum obtinebit. Et vina quidē exquiſite dulcia ſunt, theræum, & Scybelite, craſſitie vtrūqꝫ nigroqꝫ notatum colore. Sed & dulcia vina ea habentur, quę in Mæonia naſcuntur Therinū & Caryinum, quæ ipſa quantum dulci ab ijs q̃ iam rettulimus diſtant ſapore, tantum craſſitie quoqꝫ, ac nigrore abſunt. Quin etiam ſapa, quę græcis ἕψημα & σύραιον dicitur, quę ex decocto muſto fit, quo dulcior euadit vino, eo ſanè nigriore ſpectabitur colore, ac ſubſtātia craſſiore.

Verba autem adſcripſi hoc loco omnia hęc, ꝙ omnia ferè ad rem mihi facere viſa ſunt, ſi q̄s cuncta animaduertat. Dictiones porrò illæ θήρινος, & καρύινος, aliter à Galeno ſcribuntur q̄nto de tuenda ſanitate, θηρῖνος & κυριῖνος, quo loco vina recenſet ſenibus accommoda. Quæ tamen diuerſa inter ſe non eſſe argumento ſatis ſit, ꝙ vtrobiqꝫ poſt theræum & ſcybelite eorū mentionem faciat. Nam quinto de tuenda ſanitate quum nigri craſſiorisqꝫ vini vſum in ſenibus damnaſſet multis nominibꝰ, paulo poſt ita ait: εἴπερ οὖν ἐθέλοι μετὰ τὸ λουτρὸν οἴνῳ χρήσασ-

θαι γλυκεῖ τῶν πρεσβυτέρων τὶς, ἐδηδοκότι μὲν ἕωθεν αὐτῷ καθότι τὸν ἀντίοχον ἔφην πράττειν, ἄριστος ὁ φαυστιανὸς φαλερῖνος, ἐκείνου δ᾽ ἀποροῦντι τῶν ὁμοίων τὶς. ὅμοιοι δ᾽ ἂν εἶεν οἱ γλυκεῖς τε ἅμα καὶ ὠχροὶ κατὰ χρόαν. ἐφεξῆς δὲ τούτοις ὅ τε θηρῆνος καὶ ὁ κυριῆνος. i. Quod si quis seniorum a balneo vino vti dulci velit, huic postquam mane ederit, quemadmodum factitare solitum Antiochum dicebam, commodissimum erit faustianum phalerinum, in cuius defectu aliquod quod simile sit, quæretur. Porro similia fuerint, quæcunque dulcia simul & colore erũt pallenti, hisque deinceps tum therenum, tum cyrienũ. Quæ verba eo rettuli, cuiuis vt facilius pateat, vini hęc genera inter vina censeri minime nigra posse, quippe quæ proximo post pallida colore loco reponantur a Galeno. Constat autem inter pallentem hunc colorem & nigrũ, multum esse colorum multorum in vini generibus interstitium, proximumque a pallido flauum potius, aut fuluum haberi quam nigrũ, præter id quod nigris vinis quum senibus interdixisset, crassisque, mox hæc ipsa Therenum scilicet & cyrienum concedit: id certe non temere facturus, siquidem nigra quoque essent. Nam crassa quod sint indicio est dulcedo, quam non facile in substantia reperias tenui. Quod si ita res habet, recte videri possumus sententiam nostram Galeni autoritate firmasse, quum affirmabamus vina dulcia, quæ quidem ad summum talia reperiantur, ea cõtinuo nigra quoque esse: at inferioris notæ dul

cĩa alio quoqꝫ ſpectari colore poſſe, qui ferè ful uus ſit, ſiquidem tria tantum facit Athenæus libro dipnoſophiſtarum primo vini penes colorum diſcrimen faſtigia, albi, fului, nigri, nã reliquæ colorum in his differẽtiæ, ſi quas Galenus autores'ue alij addunt, facile in has redeunt, maioris, minoris'ue participationis ratione deductæ. Album autem vt ſit idem, dulceq́ꝫ vinum, autore Galeno, fieri neutiquã poteſt: reſtat igitur vt κιῤῥὸν. i. fuluum ſit, quod non vſqueadeo vt nigrum, dulce reperitur. κιῤῥὸς porro color cuiuſmodi ſit, ex Galeno diſcas duodecimo therapeutices: εἰ δ᾽ ἄλλως ἐθέλοις ὀνομάζειν τὸ κιῤῥὸν χρῶμα, ĩquit, δύναιο ἂν λέγειν πυῤῥὸν ὠχρὸν. hoc eſt, Quod ſi fuluum colorem alio appellaſſe nomine velis licet, fuluum id pallens voces. Linacrus πυῤῥὸν igneum vertit, quod in medio legentibus relinquimus. Nos hæc adſcripſimus, vt colorem hunc non parum abeſſe à nigro indicarem⁹, qui quidem color Galeno quinto de tuenda ſanitate cum flauo quoqꝫ cenſetur, his verbis: δύναιτο δ᾽ ἂν καὶ ξανθὸν ὀνομάζειν αὐτὸν. i. Sed & eum flauum quoqꝫ nomines licet. quũ prius de κιῤῥῷ. i. fuluo dixiſſet, obiter καὶ κατὰ τὸ πάρεργον id quoqꝫ notes hoc loco, vini eius quod in Cilicia prouenit vocabulum, diuerſimode ferè ſemper ſcriptum inueniri apud Galenum, duodecimo enim therapeuticωn ὁ σκυβελίτης καὶ ὁ θηραῖος ἀλβάτης ait, quinto autẽ de tuenda ſanitate ὥσπερ ὁ ἐν κιλικίᾳ μὲν συβάτης, tertio etiam de ratione victus in morbis acutis

ὁ δὲ κατὰ τὴν κιλικίαν ἀναβάτης: tametſi mendũ hoc loco ſubeſſe indicat aſteriſcus affixus. Sed & Athenæus libro dipnoſoph. primo ita ait: ὁ δε ἀπὸ κιλικίας ἀβάτης καλούμενος, κοιλίας μόνον ἐςὶ μαλακτικὸς. difficile vt ſit diuinare, quænam harum verior reiq́ huic iudicandæ impoſita primitus dictio fuerit. Quod quũ non multum ſane ad rem noſtram faciat, diſcutiendum his relinquimus, ſi qui contentioſius inter ſe de nominibus digladiari cupiunt, quibus loca prę monſtraſſe ipſa ſatis ſit.

Non diſſidere inter ſe, quæ diſſidere videntur Galeni dicta de ambigua piſcium natura, in libris de alimentorum facultatibus,

Enantioma XVII.

Κέφαλον, qui piſcis gen⁹ eſt quoddam, ſunt qui mugilem verterint, quum Gaza in libris de animalibus maluerit capitonem vertere. Mugil enim Theodoro κέςρευς eſt, qui capitonem ſub ſe quaſi ſpeciem genus comprehendit: ſic enim ait Ariſt. in libro de natura animalium quinto: ἄρχονται δὲ κύειν τῶν κεςρέων οἱ μὲν χάλλωνες τοῦ ποσειδεῶνος, καὶ ὁ σάργος, καὶ ὁ μύξων καλούμενος, καὶ ὁ κέφαλος. i. Ex mugilibus autem decembri primũ menſe concipiunt labeo, ſargo, quiq́ muco vocatur, & capito. Facile vt appareat plures haberi mugilum ſpecies, ĩter quas capito numeretur, eumq́ qui κέφαλον mu-

gilem verterit ſpeciem, ſeu quomodo libet appelles, cum genere comprehendiſſe, niſi quis contendat Galenum pro κέϛρους κέφαλον ſumpſiſſe, ſpecieiq́ nomẽ id generi accommodaſſe, ſolo vt in nomine differentia ſit. De hoc igitur capitone quum pertractaret in libris de facultatibus alimentorum, dixiſſetq́ prius piſces quicunq́ in aquis degunt ſalſæ dulciſq́ aquæ miſtura conſtantibus, carne eſſe inter fluuiatiles marinosq́ media, ſic deinde ait: κοῖνος δ᾽ ὁ λόγος οὗτος ἔσω σοὶ καὶ τῶν ἄλλων, ὅσοιγε κατὰ ποταμοὺς καὶ λίμνας, καὶ θαλάττῃ ἰχθύες γίνονται. τὸ γὰρ πολὺ πλῆθος αὐτῶν οὐκ ἐπαμφοτερίζει, τῶν μὲν θαλαττίων φευγόντων τὸ ποτάμιον ὕδωρ, τῶν δὲ ποταμίων, ἢ λιμναίων τὸ θαλάττιον. i. In vniuerſum autem dictum hoc de alijs quoq́ piſcibus ſit, qui quidem in fluminibus, & ſtagnis, mariq́ degunt: nam bona eorum pars ambiguæ naturæ non ſunt, quum marini aquam vitent fluuialem, ſicuti marinam fluuiatiles, quiq́ in ſtagnis degũt. Subdit deinceps capitonem omnium maxime eius eſſe naturæ, vt ꝓmiſcue aquis vtatur vtriſq́, ſalſa nimirum & dulci: ſed hoc ineſſe tamen diſcriminis, ꝙ fluuiatilium caro ſpinarum tenuium quarũdam numeroſitate exaſperetur, quibus marini careant, id quod in cęteris quoq́ id genus piſcibus notetur. Hoc quũ declaraſſet, ſic deinceps ſcribit: ὀλίγοι μὲν οὖν τῶν ποταμίων ἐπεμβαίνουσιν τῇ θαλάττῃ, πάντες δὲ οἱ θαλάττιοι χαίρουσι τοῖς ποταμοῖς. i. Itaque ex fluuiatilibus pauci mare petunt, quum marini

fluminibus gaudeāt omnes. Marinos ait pisces hoc loco vniuersos dulcib⁹ gaudere aquis, inq; eas tranare, contra atq; paulo ante dixerat, bonam piscium partem οὐκ ἐπαμφοτερίζειν. hoc est, non ambigere, vt Gaza interpretari solitus est, & marinos flumina vitare, vt fluuiatiles mare. Sed facilis est explicatio si quis modo paulo diligentius caput perlegat. Duo enim facit piscium discrimina Galenus, alterum eorum qui in marinis sedibus suis degere contenti, nunq̄ in alienas migrāt, neq; solum, vt ita dicam, vertunt. De his quum loqueretur magnam esse piscium partem, dixit quę ancipiti minime essent natura, nec fluuiatiles marinum, nec marini fluuialem amarent aquam. Est & alterum horum discrimen, nempe illorum qui vtrobiq; degāt, inter quos capito. Quos ipsos etiam, vt quā originem referrent scire possemus, signis quibusdam distinxit spinarum multitudine & paucitate notata, atq; hi omnes qui vtroq; aquarum discrimine gaudent, naturamq; obtinent ancipitem quādam atq; ambiguam, sic adhuc sese habent, vt quicunq; fluuiatiles sunt, pauci ex his mare intrent: at qui marini habētur fluminib⁹ gaudeant vniuersi. Quod in transcursu quodā adnotasse satis sit, ne imposturā sibi ipsi ex hoc quis faciat imprudens.

Ex viticis semine, quod calidum esse Galen⁹ statuerit, quo modo recte ab eodem dictum sit, alimentum corpori prouenire frigidum,

Enantioma XVIII.

INter initia ſexti de ſimplicium medicamen-
torum facultatibus libri, dum horum ipſorū
medicamentorum cenſus peragitur, ita ſcriptū
à Galeno inuenias, capite de vitice: ἄγνος δ' ἢ
λυγὸς τὸ θαμνῶδες φυτὸν, θερμὸς μὲν ἐστὶ καὶ ξηραν
τικὸς κατὰ τὴν τρίτην που ἀπόστασιν. λεπτομερὴς
δὲ ἱκανῶς, καὶ γευόμενος δριμύς τε ἅμα καὶ στύφων
.i. Agnus ſiue lygus, hoc eſt vitex, planta ſcili-
cet illa fruticoſa, calidus quidem eſt, quiq́ʒ exic-
cet abſceſſu tertio: partibus autem cōſtat tenui
bus ſatis, guſtuq́ʒ acris ſimul atqʒ adſtringēs eſt.
Et paulo poſt: δριμύ τε ἅμα, καὶ ὑπόστυφον ἐστὶν
καὶ τὸ φύλλον, καὶ τὸ ἄνθος, καὶ ὁ καρπός. ἐστὶ δὲ καὶ
ἐδώδιμος ὁ καρπὸς καὶ θερμαίνει σαφῶς μετὰ τοῦ
κεφαλαλγὴς ὑπάρχειν. εἰ δὲ φρυχθείη (καὶ γὰρ καὶ οὕ
τως ἐσθίεται μετὰ τραγημάτων) ἧττον ἅπτεται
τῆς κεφαλῆς. ἄφυσος δὲ κατὰ γαστέρα καὶ ὁ ἄφρυ-
κτος μὲν ἐπὶ μᾶλλον δὲ πεφρυγμένος .i. Suntq́ʒ flo-
res, folia, ac ſemen, acria ſimul atqʒ ſubaſtringē-
tia. Eſtur vero præterea ſemen, aperteq́ʒ excal-
facit, præter id quod caput dolore tentat, ꝙ ſi
frigatur (quandoquidem ſic quoqʒ editur cum
tragematis vna) minus caput ferit, flatū porrò
in ventre minime procreat ꝙ frixum non ſit, ac
longe minus quod frixum. Ac quum de eo-
dem hoc ſcriberet libro de facultatibus alimen
torum primo ita ait: καὶ κατ' αὐτὸ τοῦτο φρυγόμε
νον ἐσθίεται πεπεισμένον ἐπέχειν τὰς ἐπ' ἀφροδι
σίοις ὁρμὰς γιγνομένας, τροφὴν δ' ὀλίγην δίδωσι

τῷ σώματι, καὶ ταύτην ξηραίνουσαν μὲν καὶ ψύχουσαν. ἄφυσον δ᾽ ἱκανῶς. i. Eſtur per ſe quoq; hoc (quum ſcilicet de ſemine loqueretur) frixum, q̄ actos in venerem ſtimulos cohibere credatur. Cæterum corpori alimēti parum exhibet, idq; ſiccans, ac refrigerans: flatusq; abunde expers.

Alimentū præberi inde corpori frigidū ait, quo dici priori ſententiæ diſſonum magis non potuit. Quo nāq; modo ſinapi, ruta, anethum, mēta, piper, caſtoreum etiam ipſum ſi à calore conficiantur naturali inq; alimentum tranſeāt, aliaq; id genus medicamenta, nunquam quidē alimentum corpori præbuerint frigidum: eodem ſanè modo viticis ſemen ex calidiorū catalogo quum ſit, idem peragat neceſſe eſt, idq; bifariam, partim q̄ ſanguinem procreet calidiorē quendam, partim autem huius ipſius adaugeat ſubſtantiam. Ad quem ſanè modum lactuca quoq; frigidum olus, poſtquam à calore victa in ſanguinis naturam abierit, calorem præſtare corporibus creditur, quatenus quidem ſanguinis inde additum aliquid ſubſtantię eſt. Agnus igitur ſi fortè inde enodandæ rei huius ſeſe caput explicet aperiatq;, videamus, quum tam frictum q̄ minime frictum edēdo id eſſe dicit, vt minime quidem frictum calidum eſſe affirmemus, ſi edatur: frictum vero frigidum cōtra, aut certe longe minus calidum, id quod ex eodem alioqui colligas capite licet, libri de ſimplicium medicamentorū facultatibꝰ ſexti. Caput enim tentari ex viticis ſemine affirmat, non q̄ flatuo

ſum ſit, quippe quod venerem potius ſtimula=
ret, ſiquidem eiuſmodi haberetur, à quo tantū
abeſt, vt concitatam etiam egregie refrenet, ſi
quicquam aliud, quo planè nomine flatū præ=
terea inde diſcuti poſſe par eſt credamus: ſic enī
ἄφυσον etiam interpretantur. Ergo ꝙ caput ten
tat, non eo fit ꝙ flatus procreet vllos, ſed ꝙ cali=
dum ſit, vt Galenus dicebat, atq; idem eodem
capite frictum id minus caput ferire ait: quo ſa=
nè argumento conuincitur longe quoq; ob id
calidum minus eſſe. Atq; hoc quod minus id
caput ferire dixit Galenus hic, ī libris de alimē=
torum facultatibus neutiquam ferire dixit, his
verbis: κεφαλῆς δ' οὐχ' ἅπτεται καθάπερ ἡ κάννα=
βις. i. Caput minime tentat, ſiue attingit, quod
cannabis facit. vti iam minimū in fricto ineſ
ſe caloris affirmare poſſimus, quo nomine ca=
put non tentat. Siquidem id illi caloris potiſſi=
mum accidit ratione, euenitq; id nec ſine exem
plo penitus, neq; vlla ꝓrſus abſq; ratione. Quē=
admodum enim quę vruntur, multum amittūt
caloris ſi acria ſint, vt Galenus teſtatur libro de
ſimplicium medicamentorum facultatibus no=
no, ita fieri poſſe crediderim vt non diuerſum
omnino ijs, quæ friguntur, accidat, quippe quę
non paruam inde ignis vim experiantur, quæ
acre quod obtinēt, ſic quoq; abſumat, vt in exu
ſtis vſu venit, Quod ſi concedimus, minimo mi
nus in frigidum abeat viticis ſemen neceſſe eſt
perfrictum, vt in quo partes illæ recedant cali=
diores nimirum acres illæ, frigidiores autē per=

maneant nempe adſtringentes, & ſi quid tamẽ reliquum ſit caloris, vt in quibus ἐμπύρευμα illud reſtet, & partibus etiam frigidis nonnihil ignea vi cōciliatum caloris ſit, id tamen perexiguū eſt. Longe enim minus in his quàm in exuſtis ἐμπύρευμα, ob diuerſitatis nimirum rationem: & alioqui fieri haud difficulter poteſt, vt partes acres illæ ſuperficie fortaſſe tenus conſtantes tātum ignis vi diſſoluantur, in adſtringentes vero interius latitantes indere ſe ea non ita facile queant dum quidem friguntur. Nam ſi exurantur alia ſit ratio, modusque. Particulæ itaque fricti ſeminis huiuſce calidę exigue ſatis, quū id eſtur vires non ſane admodum exhibent ſuas: at frigidæ exhibent, vt in corianno vſu venit, quod quum calidis conſtet partibus, ad refrigerandū tamen, reprimendosque vapores quicunque caput petere ſolent, vſui adhibetur à cibo, quod adſtringentis etiam facultatis nonnihil in eo reperiatur, eſtque id vulgo iam receptum. Ad eūdem igitur, aut non admodum certe diuerſum modum, frigidum ex viticis ſemine nutrimentum ſentire corpus poteſt: nec iam diſſentire ab his intelligi Galenus poſſit, à non oſcitabundo quidem lectore. Quamuis enim de vtroque ſermonē inſtituere videatur ī libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſemine nempe fricto, non fricto, prius tamen quum id edendo tantū eſſe diceret, ſtatim id aperte quoque calfacere affirmat, caputque inde tentari. At quum de fricto diſputat, nihil interim caloris meminit, niſi ali-

quot post versus. Quin inde caput quoq; tentari non dicit, quod argumēto sit multum illi detractum fuisse caloris, quo potissimum nomine Galen⁹ caput id petere dicebat. Porro ꝙ alimentum corpori frigidum prę stet semen ita frictum, sic intelligendum est, quasi sanguinē tantum alimentumq; inde proueniens frigidum creet. Nam qua ratione sanguinem generat, huiusq; ipsius adauget substantiam, sic non immerito excalfacere dicatur, quod lōga exquisitaq; oratione probauerit Galen⁹, lactucæ in primis exemplo, libro de temperamentis tertio. Quod si cui forte minime satisfaciunt ista, iam remedium malo huic petemus ex Hippocrate, huiusq; vna explanatore Galeno quarto commētariorum libro in sextum epidemiorum Hippocratis, quo loco fieri posse concedit, vt eodē tempore, diuerso tamen modo calidus vna ac frigidius euadat corpus, ꝙ duplici notetur hui⁹ ipsius calor discrimine, connatusq; alter sit genuinusq; ac familiaris, extraneus alter præterq; naturam. Quorum sane quum genus extenuatur vnum aliquod decrescitq;, contra autem augetur alterum viresq; sumit, non absurde corpus inde calidum simul factum frigidumq; pronuntiaueris, vt in somno de quo eo in loco disserit, vt in hoc ipso vsu venire potest, viticis semine. Quod quum aduentitia quadam, ac medicamentosa potius qualitate calorem corporibus addat, eumq; prę terea siccum, eodem nomine natiuū imminuere, deq; eo subtrahere mul

tum

rum possit, ꝙ alterius prorsus generis sit. Verba porro Galeni ita habent, in verborum Hippocratis expositione illorũ, ὕπνος ἑδραῖος. hoc est, somnus stabilis siue sedentarius: ἐγχωρεῖ μέντοι καθ' ἕνα τρόπον ἐνίοτε θερμότερόν τε καὶ ψυχρότερον ἅμα γίγνεσθαι τὸ σῶμα διὰ τὸν ὕπνον, ἐπειδὴ τῆς κατὰ τὸ σῶμα θερμασίας διττὸν ἐστὶ τὸ γένος, ἓν μὲν οἰκεῖον τε καὶ σύμφυτον, ἕτερον δ' ἀλλότριόν τε καὶ παρὰ φύσιν. ὅταν οὖν αὐτῶν τὸ μὲν αὐξήσῃ τε καὶ ῥώσῃ, τὸ δὲ καθάρῃ τε καὶ μαράνῃ, πῶς οὐκ ἄν τις εὐλόγως φαίη καθ' ἕνα χρόνον ἐξ ὕπνου θερμότερον ἅμα καὶ ψυχρότερον ἑαυτοῦ γεγονέναι τὸ σῶμα. hoc est, Fieri nihilominus aliquando potest, vt eodem tempore calidius vna ac frigidius fiat corpus, ꝙ duplex sit in corpore caloris discrimẽ, familiare vnum natiuumq́ue, extraneũ alterum & præter naturale. Horum igitur ipsorum quum alteri incremẽtum roburq́ue addiderit, aliquid vero subtraxerit alteri atque attenuarit, qua tandem ratione non recte prorsus dixeris, eodem tempore ipsum seipso calidius iuxta ac frigidius ex somno redditum fuisse corpus?

Quod idẽ spectari ĩ viticis quoque semine possit, vt declarauimus, simul & illud ad rem nostram fecerit, quod Hippocrates mox adnectit inquiens: αἱ ἀσθενέες δίαιται ψυχραὶ, αἱ δὲ ἰσχυραὶ θερμαί. i. Imbecilliores vict⁹ frigidi, validiores calidi. Victu porro cibaria quoque continentur, quæ quum exiguum corporibus largiãtur alimentum, quod viticis quoque faciat semẽ autore Galeno, hactenus certe dici frigida pos-

ſunt. Ergo ſemen hoc quatenus imbecillam inde, exiguamq́ perſentit alimoniam, corpus frigidum dicetur, quod de natiui ita caloris viribus demat: calidum autem quod medicamentoſa ſiccãteq́ præterea qualitate corpus excalfaciat.

Non eſſe piaculum quod autores referendis rerum exemplis, aliorum aliquoties nitant fide,

Enantioma XIX.

QVod nos argentum viuum, Græci ὑδράργυρον appellant, quaſi argentum dicas aqueum fluxile'ue. De hoc igitur libro de ſimplicium medicamẽtorum quarto meminit Galenus his virbis: ἀλλὰ διαπύρῳ μὲν σιδήρῳ καὶ λίθῳ τὰ κατὰ διάβρωσιν ἀναιροῦντα φάρμακα προσέοικεν, ὑπὸ τῆς ἐν αὐτῷ σώματι θερμασίας εἰς τοῦτ' ἀγόμενα δηλονότι, καθάπερ ἥτε χαλκῖτις, τὸ μίσυ, καὶ τὸ σῶρι, καὶ πρὸς τούτοις ἀρσένικον, ὑδράργυρος, λιθάργυρος, καὶ ἕτερα μύρια. i. Medicamẽta porrò, quę erodendi facultate interimũt, ſimilia ſunt ferro lapidiue ignitis, corporis nimirum ipſius calore id adepta: quod genus ſunt chalcitis, miſy, ſory, ad hæc arſenicum, argentũ viuum, lithargyrus, atq́ alia ſexcẽta. Procul dubio Galeno argentum viuum hoc loco cum ijs vna cenſetur, quæ erodendi vi pollent deleterijs, eaq́ ratione interimunt. Atq́ hic idem tamen autor eodem hoc in opere, libro nimirum nono in caput de argento viuo, quaſi diametro

pugnantem ſententiã cõtulit his verbis: ὑδράρ-
γυρος οὐκ ἔστι τῶν αὐτοφυῶν φαρμάκων, ἀλλὰ τῶν
σκευαζομένων, ὥσπερ ψιμμύθιόν τε, καὶ ὁ ἰός, καὶ ψώ-
ρικον, καὶ λιθάργυρος. ἔχω δ' αὐτῆς οὐδεμίαν πεῖραν
οὔτ' ὡς ἀναιρούσης, εἰ καταποθείη, οὔτ' ἔξωθεν ἐπιτιθε-
μένης. i. Argentum viuum inter ea quæ ſponte naſcuntur non numeratur, ſed quibus ars adhibetur, cuiuſmodi ceruſa quoq; eſt, & ærugo, & pſoricum, & lithargyrus. Hoc autem nulla mihi conſtat experientia, neq; ſi interimat deuoratum, neq; vero ſi foris admoueatur. Argentũ viuum, quod antea dixerat eroſione quadã interficere, idem nunc aperte & clara omnino voce fatetur ignorare ſe id nec ne peragat. Incidi dum iſta commentarer in libellum nuperrime æditum docti cuiuſdam, vt mihi quidẽ viſum, epiſtolarum medicinalium, quem dum auide, vt fit quoties tale quippiam in manus legendũ ſumimus, percurro, animaduerti hanc ab eo quoq; notatam cõtrarietatem, quam ille ita diluit, vt dicat Galenum diuerſis in locis de ſponte naſcenti factitioq; mentionem feciſſe, vt mirum non ſit, ſi diuerſa quoq; de hoc protulerit. Adductum ita vt opinaretur, credo, ex prioribus illis de argento viuo Galeni verbis, quum ait argentum viuum factitium eſſe, non ex ſpõte naſcentium genere, vt diceret hoc loco Galenum de factitio locutum, de ſponte autem naſcenti libro eiuſdem argumenti quarto. Quæ tamen verba, ſiquidem recte exacteq; expendãtur, niſi nihil ego omnino video ac plane cæcu

tio, contrarium potius indicent, vt ex quibus apertissime (nisi fallor) colligas, nusquam Galenum spōte nascentis argēti viui genus aliquod agnouisse. Nam qui ita dicit: Argētum viuum factitium est, non ex sponte nascentibus, id dicit, ego argentum viuum sponte nascens nullū agnosco, qui fieri igitur potest vt de hoc pertractarit libro quarto? Dices, quid ergo dicemus ad hęc? Quid aliud quæso q̃ id qđ res est, quarto scilicet libro exemplum tantummodo argenti viui attulisse Galenum, non ꝙ rei huiusce tūc temporis periculum iam fecisset, sed ꝙ ab alijs id auditum scriptum'ue referre non dubitaret, multorū exemplo qui dum de re aliqua disputant in vniuersum, multa subinde in vnum conferunt exempla, partim quorum testes ipsi sint oculares, partim quæ aliorū nitantur fide, quibus tamen adhibenda fides sit non immerito. Legerat autem ille ex Dioscoride nō semel perniti osa id esse vi præditum, quem vnum facile omnium principem statuit, quotquot ante eū de materia medica scripserunt. At quum priuatim argento viuo caput suū dicat, nihil eo tunc, cuius non ipse antea fecerit periculum, admittit, id quod perpetuū vbiq; seruat, quoties quidem peculiariter rem pertractat aliquam, non quū exempli eam loco causaq; adfert. Atq; hac potissimum de causa factum ipsemet fatetur, vt post scriptos priores illos de simplicium medicamētorum facultate libros, nonum addere distulerit ī annos deinceps plus minus viginti, ꝙ

perfectum adhuc lapidum, quibus pertractãdis locus is noni libri ordine suo cõgruebat, cognitionem minime adeptus esset. Sic enim ait cap. de misy: καὶ κατὰ τινὰ τύχην ἡ προκειμένη πραγματεία μέχρι μὲν τῆς ὀγδόης βίβλου προῆλθεν, ὡς πρὸ ἐτῶν εἴκοσι οὐ προτεθέντος αὐτῇ τοῦ ἐννάτου τούτου διὰ τὸ τινὰς μὲν τῶν λίθων μηδέπω τεθεάσθαι, καὶ μέντοι καὶ τὰς μεταξὺ γενομένας ἀσχολίας ἑτέρων ἕνεκα, i. Factumq́ꝫ casu fuit vt propositũ op⁹ annis ante circiter, viginti ad octauum vsqꝫ librum deductum fuerit, neqꝫ additus illis non⁹ is sit, propterea ꝙ lapides nonnullos nondum inspexissem, simul etiam negotijs sese interim quibusdam ingerentibus alijs de causis. Iam perspicis Galeni diligentiam, ac probitatem potius, qui nil temere mandet literis, quod nõ ante compertum exploratumq́ꝫ habuerit, quod in capite quoqꝫ de argẽto viuo obseruauit, tametsi dum medicamentorum erodentium mentionem faceret, hoc quoqꝫ recensuerit exempli tãtum gratia, ꝙ ita essent scribẽtium tunc de hoc testimonia, itaqꝫ res sese habere videretur ratiocinanti diligentius, quod tamen Galeno certe non repugnet, nullum se rei huiusce periculum fecisse affirmanti. Atqꝫ ita mea quidẽ sententia sati⁹ fuerit, rem vt habet, nisi fallor, exposuisse, q̃ꝫ in tricas sese induere inextricabiles. Incidũt enim nodi interdum huiusmodi quidam, quos discindere potius medios operæpretiũ sit, Alexandri exemplo, q̃ꝫ speciosius aliquod explicãdis illis caput, quod nullũ sit, frustra quæsisse.

Super lupi iecinoris facultate quædam, qua factum fuerit vt non immerito Galenus modo id probarit, modo ex medicamentorum quorū dam compositione amouerit,

Enantioma XX.

LVpi iecur hodieq́ꝫ confirmando iecinori exhibemus, modo per se adhibita tantum conseruando diutius illi præparatione, modo antidotis id immiscentes, quæ affecto visceri huic conferant. De hoc quum meminisset Galenus vndecimo de simplicium medicamentorum facultatibus, in hūc modum scribit: τὸ δὲ ἧπαρ τοῦ λύκου πολλάκις μὲν ἔβαλλον εἰς τὸ δι᾽ εὐπατορίου φάρμακον ἡπατικόν, οὐ μὴν ὑπεροχῆς τινὸς ἐπειράθην ἀξιολόγου παραβάλλων αὐτῷ χωρὶς τούτου σκευαζόμενον. i. Sæpenumero addidi medicamento quod ex eupatorio conficitur hepatico, lupi iecur, neq́ꝫ tamen collato huic altero quod absq́ꝫ hoc paretur, deprehendi in aliquo id prestare, quod quidem notatu dignum esset.

Sic ex medicamento hoc Galenus lupinum iecur tanquā nullius prætij, aut momēti remouisse videri potest, aut certe nō probasse: quod facile tamen admittat libro de compositione medicamentorum κατὰ τόπους, octauo his verbis: ἔοικε δὲ τὰ τοιαῦτα καθ᾽ ὅλην τὴν οὐσίαν ἐνεργεῖν, οὐ κατὰ μίαν ἢ δευτέραν ποιότητα, ὁποῖον ἐστὶ καὶ τὸ λύκειον ἧπαρ, οὗ πεῖραν ἱκανὴν ἔχομεν. i. Videntur autē medicamenta huiusmodi tota sub-

ſtantia, non vna altera'ue qualitate agere, quod genus lupinum quoq; iecur eſt, cuius nos periculū fecimus abunde. Et paulo poſt: καὶ διὰ τοῦτο τὰ τοιαῦτα φάρμακα πάσαις ἁρμόττειν φαίνεται ταῖς δυσκρασίαις ὡς ἂν τῇ τε τῆς οὐσίας ἰδιότητι τὴν ὠφέλειαν παρεχόμενα. καὶ τῷ μήτε τὰς θερμὰς, μήτε τὰς ψυχρὰς δυσκρασίας βλάπτειν. i. Ideoq; medicamenta id genus conuenire intēperaturis omnibus videntur, vt quorum vſus ſubſtantiæ proprietate conſtet, ſimul etiā neq; calidis, neq; vero frigidis temperaturis obſint.

Dicat aliquis nihil videri mirū debere, ſi diuerſa aliquando de re hac ſenſerit Galenus, propterea ꝙ multo ante ſcripti fortaſſis fuerint de ſimplicium medicamentorum facultatibus libri, ꝗ̄ opus de cōponendis κατὰ τόπους his conſcriptum, quod ille aliquando fateatur compoſitum à ſe fuiſſe omnium vltimum. Quo plane temporis interuallo veriſimile videatur, multorum eum (quæ illius erat conquirendis vndiq; explorandisq; his diligentia) inueniſſe medicamētorum vires, atq; inter alia lupini illi iecinoris facultatem per ſe compertam, quam prius ignoraſſet. Hoc quo minus affirmem facit, ꝙ quum multoties expertum ſe id dicat ī compoſitione medicamēti dieupatorij, veriſimillimū ſit, lōge magis de eo periculum per ſe quoq; ab eo factum, quū illa ſcriberet, ꝙ ferè ſeparatim prius vna quæq; probemus, quæ modo probari poſſint, ꝗ̄ eorum cum alijs compoſitionem moliamur. Sed & illud dici ab aliquo poſſe vi-

deo, nõ negasse Galenum vndecimo de simplicium medicamentorum facultatib⁹, in lupino iecure facultatem aliquam, sed eam se tantum non videre dixisse, quæ notatu aut mentione aliqua digna esset. Reclamat autem sic opinanti ꝙ Galenus octauo de compositione medicamentorum κατὰ τόπους, satis se id atq; abunde expertũ testetur. Proinde illud mihi placet magis, vt dicamus ratione factum fuisse manifesta, ꝙ lupino iecinori vires inesse pernegarit euidẽtes in libro de simplicium medicamentorum facultate, quod videlicet medicamento dieupatorio additum sit, vel (vt verius Galeni sententiã exprimamus) medicamentum dieupatoriũ nõ sane` multũ ex lupini iecinoris adiectione momenti assumere explẽdo muneri, quod alioqui præstat. Nam quum huiuscemodi composita medicamenta excalfaciendi potius, aut refrigerandi, aut exiccandi, verbi gratia, aut humectãdi interdum, aut etiam deobstruendi, aut tale quippiam moliendi vi polleant, quod genus dieupatorium quoq; sit cuiuscunq; tandem modi id habeatur: (non enim in præsentia sucucrrit, vnde eius pręparatio legitima petenda) quũ his inquam prędita facultatibus sint medicamẽta istiusmodi, nihil sane` mirum lupini iecinoris additione, non multum illis in vtranq; partem momenti acquiri rei diuersi prorsus ordinis, & (vt ita dicam) farinę: quippe quæ, vel Galeno teste, tota tantum substantia agat latentiq; quadam proprietate ac familiari, vt cochleæ, vt

lapidum nõnulli, vt lupi eiuſdem ſtercus ingui nibus appenſum in colico cruciatu, vt alia per- multa. Quæ ſane non video quo nam tandem pacto medicamentorum adiecta confectioni- bus excalfacientium, aut refrigerantium illorũ aliqua ex parte ꝓmouere opus valeant, quantũ quidem ad vires attinet, quas illa polliceantur. Hoc exemplo minime præſtiterit tali alicui me dicamentorum compoſitorum lupi iecur addi diſſe. Cui tamen ſententię non repugnat ꝙ per ſe exhibitum, aut non diuerſi certe generis rei additum, vires euidentiſſime indicet proprias quas ex tota, ſicuti diximus, ſubſtantia familia- riq́ʒ quadam ac genuina facultate ſortitum ſit. Frigidis autem id aut calidis temperaturis ad tẽ periem deducẽdis, nulla vnquam ratione neq́ʒ per ſe neq́ʒ vero alterius medicamenti faculta- tibus additum probarimus, quas quantum qui dem in eo eſt, neq́ʒ lædat, neq́ʒ iuuet. Nã ꝙ Ga- lenus dixit intemperaturis id omnibus conue- nire, perinde dictum intelligas, quaſi minime inde lædi eas pronuntiauerit. Quam ſententiã verbis mox illis adnexis aperuit: καὶ τῷ μήτε τὰς θερμὰς μήτε τὰς ψυχρὰς δυσκρασίας βλάπτειν. i. Tum ꝙ nec calidas, nec frigidas intemperies læ dat. Alioqui ſi frigidas iuuat, cur non lædit calidas? ſi calidas, cur non frigidas? Aut rurſus ſi frigidas non lædit, cur tandẽ calidas iuuerit? aut ſi non calidas, cur frigidas? Vides ratiocina tionis huius neceſſitatem? quũ fieri nullatenus quidẽ poſſit, quin quæcunq́ʒ frigidas lædũt in-

temperaturas, ea ſtatim calidas iuuent: ſicuti e diuerſo,q̄ calidis, obſunt, frigidis remedio ſint. Eadem vtrobiq; ratione, ꝙ ſi qua cõtrariorum alteri fauent, ea continuo quoq; aduerſentur reliquo. At quæ in medio ſita ſunt, neutrarum partium ſunt: quod genus quum lupinũ quoq; iecur ſit, quid mirum ſi medicamentis additum diuerſæ prorſus rationis, neq; huic, neq; illi parti fauet, quũ germana tamen ac natiua proprietate quadam, eſſe alioqui efficax poſſit: Atq; hoc pacto facillime ac ſine controuerſia, à controuerſia tueri Galeni dicta poſſe videbimur.

Venæ ſectio quo pacto foras humores auocet, & item quo modo intro eoſdem agat,

Enantioma XXI.

IN laſſitudinis affectu ubi ſanguinis ꝓbi ſubſit paucitas, crudiorum vero humorum exuperet multitudo, venam incidi vetuit Galenus libro de tuenda ſanitate quarto his verbis: αἱ μὲν γὰρ φλεβοτομίαι τὸ μὲν χρηςὸν ἐκκενοῦσι, τὸ δὲ μοχθηρὸν, ὅπερ ἐν ταῖς πρώταις μάλιςα φλεψὶ ταῖς καθ' ἧπαρ τε καὶ μεσάραιον ἀθροίζεται, πρὸς ὅλον ἐπισπῶνται τὸ σῶμα. i. Etenim venæ inciſio ſanguinem quidem bonum euacuat, prauum autem qui in venis potiſſimum colligitur primis, quę circa iecur, meſenteriumq; ſunt, in corpus extrahit totum. Hoc loco diſſecta vena ſanguis Galeno ex profundo extimã petit cor-

poris partem, deq; centro, vt loquuntur, ad circunferentiam mouetur, ac in molis corporeæ totius ambitum decumbit. Huic sententiæ pugnantem visus est in libri eiusdem quoque scripsisse ad hunc modum: ἐπεὶ τοίνυν ἐν τῷ φλεγμονώδει κόπῳ πλῆθος αἵματος ἠθροισμένον θερμοῦ κατὰ τὸν ὄγκον ἐστὶν, ἡ φλεβοτομία δὲ τοὺς ἐν τοῖς ἀγγείοις ἐκκενοῖ χυμοὺς, ἄμεινον ἐπὶ τῇ προτέρᾳ κενώσει τοσοῦτον χρόνον διαλειπεῖν, ὡς μεταληφθῆναί τι καὶ εἰς τὰς φλέβας ἐκ τῶν κατὰ τὸ σῶμα. hoc est, Igitur quoniā in lassitudine phlegmonosa sanguinis multitudo collecta calidi ꝑ corporis molem est, venæ autem dissectio humores euacuat quicunq; in venis sunt, satius fuerit post priorē euacuationem tantum interponere tēporis spatium, quo ad ex corporis mole in venas transferatur aliquid. Porrò motus quo de corporis ambitu totius moleq; corporea, quam ferè ὄγκον appellat Galenus, in venas retrocedunt humores, contrarius est motui, in quo veretur ne secta vena vitiatus sanguis in exteriores euocetur corporis particulas. hoc est, ambitū ipsum, molemq;. Sic fit, vt quum prius ex venæ incisione timendum præcipiat, ne foras euocentur humores, rursus eandem id pręstare dicat, vt intro vertantur illi: quod tamen, modo rectè expendatur, contrarium non est. Etenim vt incisa vena sanguis ab interioribus corporis partib⁹ ad exteriores vertatur, id primo ac ꝑ se fit, venæq; id incisæ quasi effectus est. At vt post illius sectionem ex corporis mole retro in venas feran-

tur humores, id vero non nisi ex accidenti & secundario fieri dixerit aliquis, qui modo rem recte examinet ipsam. Statim enim quam venam secueris foras prodit sanguis, at non itidem simul ac incisa vena est, retro abeunt in venas humores corporis mole relicta, sed venarum interposita prius inanitione, seseque per id tēporis attractrice facultate excitāte, cuius vi attracti ex corporea mole humores venas petunt: quod quomodo fiat notissimum cuiuis esse potest paulū modo in libris de facultatibus naturalibus exercitato. Ob eam rem tantum interponi morę iubet Galenus inter venæ sectionē vtranque, quantum satis sit deducendis ex corporis mole ambitu'ue in venas ipsas humoribus. Quod signi est non per se ac primo, sed ex accidēti id euenire: accidit quippe vt exinanitæ venæ sanguinis priore missione repleri rursus cupiant, quo sane fit vt innata eæ attrahendi facultate, sanguinis humorumque aliquid ex proxima sibi petāt corporis totius mole, vt in qua, in affectu huiuscemodi, nempe phlegmonoso non exigua horū semper copia subsit. Atque hæc ita se habere intelligo, vbi dissecta fuerit vena. Nam quum sponte sua humores eadem sæpe via vltro, citroque abeunt, ac modo foras, modo intro pellūtur, alio id modo, & ratione fit, quam in libris de facultatibus naturalibus fusius declaratā inuenias.

Clysteres vomitione reiectos quod aliquando testatus sit Galenus, non pugnare ijs quæ super hoc in vniuersum alibi pronuntiauit,

Enantioma XXII.

VIdeas aliquando magnos alioqui autores quædam in vniuersum pronuntiare, eaq́ vera esse asseuerare, quorum tamen quandoq́ cõtrarium pronuntient, quasi vocem ipsi ignorent suam. Quod tamen nõ perinde mirum videri debet, quum persæpe autores in rebus huiusmodi, in quibus nihil statui perpetuum potest, quęcunq́ magna ex parte ita fiunt, ea perinde quasi stabilia pronuntient. Ad hũc sanè modum, quum. xiij. therapeutices aliquando ita scripsisset Galenus: τὰ δ᾽ ἐνιέμενα τὴν ἀρχὴν οὐδ᾽ ἐπαναβῆναι δύναται πρὸς τὴν νήστην, ἀλλ᾽ εἰ καὶ πάνυ σφόδρα βιάζοιο, τάχ᾽ ἂν ἅψαιο τῶν λεπτῶν ἐντέρων μόνων. hoc est, Quę vero per aluum inijciuntur, principio ne fieri quidem potest vt ad ieiunum ea ascendant, si tamen vim adhibeas vehementiorem, fortassis tenuia tantummodo intestina attigerint. Hoc quum quãdoq́ ita sensisset, interim tamen clysteres in aliquibus vomitione reiectos notasse se affirmat, lib. de causis symptomatum. iij. his verbis: ἐν μὲν δὴ τῷ κατὰ φύσιν ἔχειν ἡ γαστὴρ ἕλκει μὲν ἄνωθεν εἰς ἑαυτὴν διὰ τοῦ στομάχου, κάτω δ᾽ ἐκκρίνει. παρὰ φύσιν δὲ διατεθεῖσα κᾀκ τῶν κάτωθεν τὶ μεταλαμβάνει. καὶ γὰρ καὶ κλυστῆρες ἐπανῆλθε τισὶν ὥς ἐμεθῆναι, καὶ κόπρος ἐν τοῖς ὀλεθρίοις εἰλεοῖς. ἄμεινον γὰρ οὐχ ἕλκειν αὐτὴν ἐν ταῖς τοιαύταις διαθέσεσιν ὑπολαμβάνειν, ἀλλὰ δέχεσθαι μόνον, ὅσον ἂν ὑπὸ τῶν ἐντέρων ἀναθλιβόντων βιαίως ἄνω φέροιτο. i. Etenim ventriculus dũ

naturaliter habet, superne ad se attrahit per gu-
lam, sicuti inferius deijcit: at præter naturam
affectus quum fuerit, ex inferioribus quoq; par
tibus nonnihil suscipit. Siquidem & clysteres
nonnullis reiecti vomitu sunt, & in pernitiosis
ideis stercus. Satius enim fuerit in huiusmodi
affectibus credere nihil ad se trahere ventricu-
lum, sed suscipere tãtummodo quicquid ex in-
testinis vehementer impellentibus sursum ver-
sus feratur. Quo ex loco notes licet discrimẽ
ventriculi naturaliter se contraq; habentis, vt
de naturali huius solummodo statu loquutum
accipiamus Galenum decimotertio therapeuti
ces, vt alibi de præternaturali, quoties clysteres
superiora petunt. Atq; hoc tamen quum raren
ter admodum fieri videret, adeo rei huiusce ra-
tionem interdum non habuit, vt constanter ali
quãdo affirmarit fieri id neutiquam posse. Quę
ferè Galeni quoq; ipsius sentẽtia est, dum apho
rismum enarraret illum: Omentnm si exci-
dat, necessario putrescit. ait enim tametsi fal-
sum aliquando repertum hoc sit, minimeq; in-
terdum putruerit omentum, postquam semel
excidisset, nihilominus satis id esse dum verus
maiori ex parte aphorismus reperiatur, quod
satis sit in huiuscemodi quidem enuntiatis, vt
in quibus ea seruetur pronuntiandi in vniuer-
sum formula, licet è diuerso interdum accidat
vt res secus ac pronuntiatum de his fuerit, eue-
niant. Sed & illud dici hac in re fortasse nõ ab-
surde possit, ꝙ videlicet, dum decimotertio the

rapeutices, dum fieri posse negat, vt aluo infusa ieiunum pertingant, ac longe minus propterea ad ventriculum deferantur, iniectionis tantum ipsius impulsum considerat, quem vehementē adeo adhiberi posse pernegat, vt ad ieiunū vsq; iniecta deferat. Fieri autē potest vt immissi clysteres solo instrumenti ipsius, inijcientis'ue manus impulsu ferantur, nihil eos facultate tunc aliqua impellente, vt quam nō semper necesse sit ita agere. Atq; hoc verba illa significant: ἀλλ' εἰ καὶ πάνυ σφόδρα βιάζοιο. hoc est, q̃ si vehementer admodum impellas, vrgeas'ue. Quasi solum impulsionis violentiam spectet manu factam, quo casu verisimile fit per tantum locorum interuallum, totq; intestinorum inuicem sese complicātium inuolucra delatos clysteres ab ano ad ieiunum vsq; intestinum, ventriculum'ue ipsum progredi non posse sola commotos impulsione. At quum reiectos vomitu clysteres dicit, propultrici id eorum tribuit facultati ac motioni, quam περισταλτικὴν vocant, quæ fit quoties intestina sese contrahendo, quasiq; contenta amplexando superius ea, aut inferius propellant. Quod quum inferiori ex parte cœperit, nihil sane mirum si rem aliquam contentam, aut clysteres, aut excrementum, aut flauū, acrem'ue aliquem humorem, quem quis pudore, vt fit, aut negotijs impeditus non remiserit, retro in superiores partes repellāt intestina, innata propellendi ita facultate sese per intestina omnia, continua quadam quasi linea facile ad

ventriculum vsq; protendente. Quæ facultas si quando nihil agat, & quasi ferietur, id quod cõtingere perquam facile potest, quando, vt retro in superiora propellant contenta, non perinde id naturale intestinis sit, sicuti quum ea ad inferiora protrudũt, tunc credi par est clysteres nulla adiutos intestinorum facultate, ac solo actos artis ipsius impulsu, & tanquam proiectu motos non tam progredi posse. Hac quoq; diuersitatis ratione factum puto, vt aliquãdo Galenus senserit per aluum immissa, ieiunum pertingere non posse, quum tamen aliam ob causam reiectos aliquando vomitione clysteres dixerit, aliaq; in intestinis contenta superius retrusa, id quod sexto quoq; de tuẽda sanitate testatus sit. Quo etiam in loco motum, quo sursum versus intestina protrudunt contenta, præternaturalẽ illis esse dixit, his verbis: φαίνεται γὰρ ἡ προωστική τε καὶ ἀποκριτικὴ δύναμις κἂν ἐκ τῶν κατὰ τὴν ἕδραν χωρίων ὁρμήσῃ τι πρὸς τὴν ἄνω φορὰν, ἄχρι πλείστου διαφυλάττουσα, καίτοι παρὰ φύσιν οὔσης ἐν ζώῳ τῆς τοιαύτης ὁδοῦ. i. Videtur enim propultrix, excretrixq; facultas si quid ex sedis etiam ipsius partibus motus ad superiora impetum capiat, per multum id interuallum non remittere, etiam si præternaturalis animãti huiuscemodi via sit. Quod ideo addidimus, ne cui videri mirum possit, quod parum ante diximus contingere posse, vt ab huiusmodi motu intestina desistant, quippe qui non perinde illis naturalis habeatur, quod alibi etiam testetur.

Protrudendis menstruis victus rationem accommodam esse, tam extenuantem quàm quæ humectum faciat, quanquam diuersa ratione, compositumque super hoc dissidium,

Enantioma XXIII.

MEnsibus aliquãdo euocandis victus rationem institui à Galeno videas, quæ prorsus humectet, vt ĩ libello aduersus erasistratios Romæ degentes, his verbis: οἱ γοῦν θεραπεύοντες ἐν ῥώμῃ τὰς γυναῖκας αὐτῇ τοῦ συμβαίνοντος ἐμπειρίᾳ μάλιστα ἐπείσθησαν, ἐπὶ μὲν τὴν φλεβοτομίαν ἔρχοντες κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, ᾧ ἐπίδοξος ἡ φορὰ γενέσθαι τῶν καταμηνίων, μήτε δ᾽ ἡσυχίαν προστάσσειν, μήτ᾽ ἀσιτίαν, ἀλλὰ καὶ μελίκρατον διδόναι, καὶ τροφῆς ὑγραινούσης δαψιλῶς, καὶ λουτροῖς χρῆσθαι συγχωρεῖν. hoc est, Ideoque qui Romæ mulieribus curationem adhibent, rei potissimum ipsius vsu edocti, ad venæ se conferunt sectionem, quo tempore propè iam est vt menstrua exeant, neque quiete interim, neque inedia imperatis: contraque mulsa exhibita, concessoque vt victus ratione vtantur abunde humectante, ac balneis. Longe autem diuersam esse ab humectãte huiuscemodi victus ratione, eam quã λεπτύνουσαν Græci vocant, hoc est, extenuantẽ nemo non nouit, atque hanc tamen autor idem alibi eodem præcipit tempore adhibendam in hunc scribens modum, in libello de curatione per venæ sectionem: ταῖς δ᾽ ἀπὸ τῶν σκελῶν οὐ

μόνον ἀντισπᾶσαι, ἀλλὰ καὶ προτρέπειν ὑπάρχει
τὰ καταμήνια. καὶ ὅταν γε τοῦτο πρᾶξαι βουληθῇς, κα-
τὰ τὸν καιρὸν τῆς εἰωθυίας τῇ γυναικὶ περιόδου προ-
λαβὼν ἡμέρας ὡσεὶ τρεῖς ἢ τέτταρας, ἤτοι φλέβα
τεμὼν, ἢ ἀποχάσας τὰ σφυρὰ τοῦ ἑτέρου τῶν σκε-
λῶν ἀποκένωσον ὀλίγον. εἶτα κατὰ τὴν ὑστεραίαν ὡ-
σαύτως ἀπὸ θατέρου σκέλους αὖθις ὁμοίως κένω-
σον, ἅμα τῷ καὶ προνοεῖσθαι τῆς λεπτυνούσης διαίτης
ἐν αὐταῖς ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς οὕτως κενοῖς, καὶ πρὸ
αὐτῶν ἄλλαις ἤδη τέταρσιν ἢ πέντε. i. Porrò eua
cuatio ex cruribus facta non solū reuellere, sed
etiam elicere menstrua poterit. Quod quum fa
cere decreueris, quo tēpore adesse mulieri men
sium circuitus assolet, dies præueniēs tres, quat
tuor'ue paulū euacuabis, aut dissecta vena, aut
in crurium altero scarificato malleolo, postri-
die deinceps ad eundem modum ex altero rur-
sus crure euacuabis, simul extenuantis victus ra
tionis cura adhibita illis ipsis q̄bus euacuas die
bꝰ, atq; ante hosce quattuor p̄terea aut quinq;.

Ac capite quidem de menstruorum suppres
sione Paulus pisces prius exhibet saxatiles, te-
nueq; atq; album vinum, olera humectantia,
lac, breuiterq; victus instituit rationem quę hu
mectet omnis: deinde sub ipsum ferè erumpē
dorum mensium tempus porrum exhibet capi-
tatum cum ruta ac pipere, quæ inter attenuātia
non postremi sanè ordinis habeantur sic, vt di-
uerso humectantem, ac diuerso rursus extenuā
tem victus rationem partiri tempore visus sit.
Quod dici de Galeno non possit qui ijsdem vi-

ctus rationem vtranq; diebus instituat, nempe quum venam secat. Par est autem vt eodē vtrobiq; tempore euacuationem eam venæ sectione moliatur, quippe idem vtrobiq; affectus ratio eadem. Quod igitur alibi dierum adscripsit numerum tribus quattuor'ue ante pręstitutam mensium, diem misso sanguine, aut scarificatis malleolis, verisimile certe sit, alibi quoq; idem illum obseruasse incidendæ venæ tempus, aut qui ita facerent medicos probasse. Ergo contrariā, dicet aliquis, hic atq; ibi instituit victus rationem, minime vero contrariam: extenuanti enim victus rationi, quę crassum, viscidum, glutinosumq; alimentum pręstet, contraria potius sit, q̄ quæ humidum. Vt enim humida victus ratio extenuans non sit, illi certe nō repugnat, vt iusculorū vsus, vt balnei, (cuius vtrobiq; Galenus meminit) quæ illi minime aduersantur, quum tamen inter extenuantia non locentur. Quinimo quod extenuans victus ratio pręstat, vt crassos lentosq; humores dissecet, idē aliquādo assequare humectātis victus vsu, q crassum is, glutinosumq; humorem ac succum diluere, fluxilemq; reddere, ac veluti eliquare facile possit. Quo planè exemplo in rebus quoq; de foris videre est, vel glutinum ipsum multa dilutum aqua, fluidum vsq; adeo reddi interdum posse, minimum vt lentoris committendæ, continendæq; rei alicui retineat, ne quid interim de crassis humoribus dicam, quorum addita plerunq; humiditate aliqua tolli prorsus crassitiē omnē

videmus: vt abſurdũ videri non debeat, ſi quando idem in ſuccis quoq;, qui intra corpus continentur, vſu veniat. Sic porro aiebat Galenus vndecimo therapeutices: τοὺς παχεῖς δὲ, καὶ γλίσχρους ἐργάσει λεπτούς τε καὶ ῥυτοὺς. i. craſſos autem, lẽtosq; humores tenues fluxilesq; reddes.

Maximum porro rei huiuſce teſtimonium peti ex Aphoriſmi illi9 expoſitione poteſt, qui ita habet ſectione quarta: Quibuſcunq; in vrina craſſa carunculæ &c. ſic enim ibi ſcribitur à Galeno: καὶ μέντοι καὶ ἡ θεραπεία μαρτυρεῖ τῷ λογισμῷ τῆς αἰτίας. ὑπὸ γὰρ τῶν λεπτυνόντων, καὶ τεμνόντων φαρμάκων ἅμα καὶ τῷ τὴν ἄλλην δίαιταν ὑγραίνουσαν ὑπάρχειν, ἐθεραπεύθησαν οἱ κάμνοντες οὕτως. i. Quin cauſæ rationem huiuſmodi vel curatio ipſa probarit, ſiquidem ita affecti attenuantiũ diſſecantiumq; medicamentorũ vſu perſanati ſunt ſic, vt vna alia quoq; victus ratio inſtitueretur, quæ humectando eſſet. Porrò curatio hæc tota renum filamentis illis accommodatur, ex humoris inibi craſſioris exaſſatione conſtantibus. Nec me tamen fugit eum, qui humores attenuet, fluxiles quoq; eoſdem efficere eadẽ ratione: ſed & aliter tamen fluxiles euadũt, vt eodem in libello indicauit Galenus qui ſanguinem dicat craſſum inedia reddi, fluxionis; inhabilem. Vnde menſtrua non ſolũ non erumpant, ſed etiam ſupprimantur, quæ è contrario profuſius interdũ exeant fluido facto ſanguine, victus ratione humectante, balneisq; & mulſa. Hac ratione manifeſte opinor vides qđ

attenuans victus ratio dissecandi vi præstat, vt fluxiles succos efficiat, idem humectantē quoq; victus rationem assequi, alia licet ratione, nempe humectandi facultate, minime mirum vt sit eodem, vtrunq; remedij genus affectui eidem accommodari tempore non inepte posse.

Diuersæ dolorum rationes explicatæ, quarū aliæ curantem ad se auocent, alię minime: tum declarari de re hac Galeni loci,

Enantioma XXIIII.

QVi de sanguinis missione ī pleuritide scripsere nuper eruditissime exactissimeq;, Hippocratis verba illa libri epidemiorū sexto, quæ sectione leguntur itidem sexta: ὀδυνέων τὴν ἐγγύτητα κοιλίην καθαίρειν, αἵματός τε κοιλίην διαιρεῖν. sic interpretantur, dolorum causa proximū ventrem purgare, ac sanguinis ventrem incidere. Ac nisi quidem aliter ibi legatur, additum videri possit verbum id causa, quū in gręcis codicibus, qui quidem excussorium hactenus pręlum passi sunt, verbum ἕνεκα nullum sit. Nunc porro demus hoc dolorum causa proximū uentrem incidendum, quandoquidem ita accipiūt medici, uti diximus, autoritatis tempestate hac nostra receptissima, & alioqui ex Galeno idem alibi quoq; saltem colligas licet, dolorum causa non solum quum, vt symptomata curantem ad se trahunt virium robur demolientia incidē

dam venam, sed etiam alias, vt in verborũ Hippocratis enarratione, quæ secunda sexti epidemiorum libri sectione leguntur: παροχετεύειν ὑπεξάγειν ἀντισπᾶν αὐτίκα, i. deriuare cædẽtẽ, reuellere statim. Quo in loco leuandã dolore pri⁹ particulã esse dicit, quo reuulsorijs deinde remedijs vtili⁹, efficaciusq́ vtamur. Pręstare. n. ut quũ humores prius exinaniri permiserimus, qui particulam iam occuparunt ipsam, huiusce modi adhibeamus auxilia, ꝙ minime tũc ea dolore irritata humores ad sese trahat. Sed cur nõ Galeni ipsius adscribam⁹ verba, quæ ita habẽt: ἐὰν δ' ἐάσαις ἐκκριθῆναι τοὺς φθάσαντας ἐπὶ τὸ μόριον ἐνηνέχθαι χυμοὺς, ἐλευθερώσεις αὐτὸν τοῦ πόνου, ῥᾷον τ' ἀνύσεις τι τοῖς ἀντισπαστικοῖς βοηθήμασιν, οὐκ ἔτ' ἐφ' ἑαυτὸ διὰ τὸν πόνον ἐρεθίζοντος τοὺς χυμοὺς τοῦ μορίου πρὸς τὴν ῥοπὴν ἣν ἐξ ἀρχῆς οὐκ ὀρθῶς ἐπεποίηντο. hoc est, Quòd si humores qui in particulam iam incubuerunt ipsam, euacuari pmiseris, dolore ipsam liberaueris, remedijsq́ quæ reuellant, facilius opus perficies, ꝙ minime iam dolore humores imitãdo in se vertat particula impetu delatos, quem non sanè recte ne initio fecere. Hic certe dolori non resistit, vt faciũt qui neglecta curatione, ac symptomatis tantummodo ratione habita, huic se quauis ratione opponunt, etiam adhibitis interdũ remedijs quæ affectus foueant ipsos: sed aperte expectandam humorum euacuationem doloris ĩ primis causa dicit. Quin illi libro therapeutices decimo tertio ĩter causas phlegmonen ex-

citantes dolor est, quas rescindere iubeat. Sic enim ait: ὅταν οὖν ἄρχηταί τι φλεγμαίνειν μόριον, ἐπισκεπτέον εἴτε διὰ θερμασίαν τινὰ παρὰ φύσιν ἐν αὐτῷ γενομένην, εἴτε δι᾽ ὀδύνην, ἤτοι γ᾽ οἰκείαν, ἤ τινα τῶν πλησιαζόντων εἰς τοῦτ᾽ ἧκεν, ἵνα σοὶ παύοντι τὴν αἰτίαν ἡ φλεγμονὴ μηκέτ᾽ αὐξάνηται .i. Quũ igitur phlegmone laborare pars aliqua cœperit, disquirendum num ob factum in ea præternaturalem caliditatem aliquam, an vero ob dolorem siue proprium, siue partium proximarum eo deuenerit, quo nimirum causa de medio sublata desinat iam increscere phlegmone. Hæc porro oĩa verba illa: Dolorum causa &c. quasi testimonio quodam firmare videntur, ac fidem illis facere non exiguam, quod aliunde etiã colligas. Atqui lib. therapeutices duodecimo inter initia planissime cõtendit, quum in lateris, verbi gratia, dolore venam secamus, etiã si dolor tollatur, minime tamẽ id nos doloris ipsius causa facere, his verbis: εἰ δ᾽ ἑνὶ βοηθήματι καὶ τὸ σύμπτωμα παύεσθαι δύναιτο, καὶ τὸ νόσημα θεραπεύεσθαι, τοῦτο οὐκ ἂν εἴη πρὸς σύμπτωμα βλέπειν, ἢ συμπτώματος ἕνεκα βοήθημα παραλαμβάνειν, ἀλλ᾽ ἀντικρὺς ἡ τοιαύτη πᾶσα τῶν βοηθημάτων ἰδέα νοσημάτων ἴασις ἐστὶν. οὔτε γὰρ ὅταν ἄλγημα πλευρᾶς ἐν πλευρίτιδι φλεβοτομήσαντες, ἢ καθάραντες ἰασώμεθα, συμπτώματος ἐστὶν ἡ τοιαύτη θεραπεία. οὔτ᾽ ὅταν ἀπόστημα διατεινόμενον, καὶ σφύζον ὀδυνηρῶς διελόντες ἐκκρίνωμεν τὸ πύον .i. Quod si vnico remedio vna & symptoma tolli, & curari morbus possit, id sane non sit sym-

ptoma respicientis opus, aut eius qui sympto-matis causa remedium adhibeat, sed illico huiu-scemodi remediorum formula omnis morbo-rum medela est. Neq; enim quum lateris dolo-rem in pleuritide, dissecta vena aut medicamen-to exhibito sanamus, symptomatis fuerit cura-tio ea. Neq; quum in distento abscessu, ac cum doloris sensu pulsante pus euacuarimus, discis-so eo. Additq; deinceps Galenus symptoma-tis tunc nos potissimum causa aliquid facere, quum ĩ dysentericorum, verbi gratia, deiectio-nibus seuum iniјcimus hircinum, aut rosaceũ ceratum, aut aliquid tale, quo intestinorum af-fectus minime sanet͛, sed interim dolor. i. sym-ptoma mitigetur. Hoc enim demum pacto ne-glecto morbo atq; affectu ip̃o, symptomati nos opponim⁹, atq; in hoc cum Galeno ipso nobis conuenit prorsus. Verum in quo contrarietas versatur tota illud est, quod alibi, vt docuimus, visus sit symptomatis, vt doloris ipsius rationẽ habendam: eodem quoq; tempore, quo affectũ non negligimus ipsum, nec dolorẽ iam vti rem quæ viriũ robur demoliatur respicimus, sed di-ligenter cõsiderandum doloris nõ vnicam sem-per esse rationem, vt cuius non sane immerito alia ac prorsus diuersa censenda sit ratio, mo-dusq; quũ affectum creat aliquem, atq; alia quũ affectum sequitur ipsum. Priore enim modo af-fectus ipsius causa est diciturq;, altero sympto-ma, vt quum, verbi gratia, crus dolore occupe-tur aliquo qui paulatim phlegmonen excitet,

quo modo phlegmonen ex dolore excitari posſe demonſtrauit Galenus libro eodem, ſcilicet decimo tertio therapeutices. Phlegmone porrò ipſa iam excitata, quæ tumor præternaturalis quidam ſit ac dolorificus, tum humorũ qualitate tum vero partiũ diſtentione dolorẽ creat, ac prior quidem dolor affectus ipſius cauſa proculdubio ſit recteq; dicatur, poſterior autẽ ſymptoma: qui tamẽ ſymptoma licet ſit, ſæpius humores irritando, quaſiq; velitãdo ſenſu illo dolorifico phlegmonen adaugere tanquam cauſa poteſt. Hac rerum diuiſione dolorumq; huiuſmodi diuerſitate vera, niſi fallor, dilui pugnantium inter ſe dictorum ambiguitatem poſſe video, non ſanè difficulter, ſiquidem decimo tertio therapeutices habendam doloris rationem eſſe dicit, mitigandumq; eum, quippe qui cauſa ſit, quod nullus non verum eſſe ſemper fateatur: nullus enim nõ cauſam ſubinde prius ſemper tollendam eſſe clamat. Porrò duodecimo therapeutices de dolore loquutus videri poteſt, quatenus ſymptoma tantum eſt, qui quidẽ dolor qua ſymptoma eſt, ſi vno eodemq; cum affectu ipſo tollatur remedio, quem quaſi vmbra quędã corpus inſequitur ſuum, vt teſtatur Galenus, id non ſymptomatis, ſed affectus potius cauſa factum meritiſſime dicetur, ꝙ affectu de medio ſublato ſymptoma quoq; corruat neceſſe eſt: ac naturali quodam ordine res ſemper nobis ſeſe offerunt prius eæ, quarũ cauſa agamus, quibus depulſis reliqua nullo negotio ſponte

deficiant. Cuius ſanè rei exempla in quacunq; materia ſeſe ſuggerunt non pauca, paulum modo attentius conſideranti. Et alioqui curatio affectuum ipſorum curatio eſt, quibus primo remedia adhibemus, non ſymptomatum, quorũ cauſa primaria ratione nihil molimur, quoties quidem vnico remedio tolli vna & morbus & ſymptoma poteſt: quod luculenter ſcriptum à Galeno inuenias lib. therapeutices vndecimo. Atq; hac quidem ratione doloris cauſa quum ſymptoma tantũ eſt, remedia non adhibemus: nam quum phlegmonem, verbi gratia, aut affectum alioqui ipſum quaſi cauſa quędam auget, incrementoq; fouet, ſi qua tunc mitigando dolori auxilia præſtamus, etiamſi remedium inde affectui quoq; ipſi conſtet, nõ iniuria, (vt mihi quidẽ videtur) doloris ea adhibuiſſe cauſa dicemur. Ad quem ſanè ſenſum dicta accipio ſexti epidemiorum libri ſectione ſecunda, aut ſicubi Galenus doloris aliquid cauſa fieri dicat, pręter id ꝙ affectus poſthabeatur ipſe, aut etiam noxã inde ſentiat. Nam hoc quum fit, ſine cõtrouerſia doloris id fieri cã dicitur, tametſi hoc quoq; caſu ex accidenti quidem iuuari plerunq; affectus etiam ſoleant, ꝙ ſedato interdum dolore, ſomnoq; inde cõciliato, natura dolorifico affectus facilius concoquat, atq; conficiat. In hanc porrò ſententiam ſcribebat Galenus tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos ad hunc modum: κατὰ δὲ τὶ συμβεβηκὸς, οὐ πρώτως εἴπει τὶς ἂν καὶ τὰς διαθέσεις ὀνίνασθαι.

παυσαμένης γὰρ τῆς ὀδύνης καὶ ὕπνων γενομένων ἡ φύσις πέπτει τὰς τὴν ὀδύνην ἐργαζομένας διαθέσεις. i. Ex accidenti autem quodam, non autem primaria ratione dixerit quis, affectus etiam iuuari: (nimirum ex meconij vsu) sublato enim dolore, ac somno captato natura affectus qui dolorem faciunt concoquit.

Reuocata quædam sub examen breuiter perfunctorieq; eorum, quæ Galenus haud sane ad modum concorditer pronuntiasse visus sit de sanguinis missione, in affectib⁹ in quibus fere remedium id genus adhiberi consueuerit,

Enantioma XXV.

PVgnantia inuicẽ faciunt Galeni dicta quędam, quibus hoc quidem tempore in remedia omnium consensu primæ deferuntur non immerito. Siquidem horum in primis opera, quam in publicis semper & ijs celebratissimis italiæ totius gymnasijs assidue egregiam nauauerunt, factum dici possit, vt viam iam insistere ad capessendos artis talis tantæq; fructus vberrimos possemus planissimam, expeditissimamq;. Quam ipsam explicatam nobis, ac compendiariã reddidere ij ipsi, quũ antea tricis cuncta inuolucrisq; irretita tenerẽtur, quæ bona alioqui ingenia adolescentium rerum harum imperitorum tantam non singulo quoq; passu morabantur, vsq; adeo quidem vt non nisi multo post tẽ

pore ad ſummam medicinæ arcem peruenirēt, graduq; eo progrederentur pluſquam teſtudineo, & inter altiſſimas tamen tantum tenebras illam ipſam tenerent manibus vtcunq; arreptā, vt fit, quum oculis aſpicere rem quampiam nō poſſumus. Nimirum haſce luci tenebras offuderant etiam tenebricoſi quidam, quas poſtea diſcuſſere viri, vti diximus, officioſiſſimi, luce vndiq; inuecta ſignoq; veluti e ſpecula ſublato, quo tēdere recta poſſemus omnes, nulla viarum ambage tranſuerſi acti. Sed pugnantia quę hi volūt eſſe Galeni dicta hæc ſunt: Prius, aiūt, Galenus libro therapeutices decimotertio, in cruribus venas incidit affecto vtero his verbis: ἐπὶ δὲ νεφρῶν, καὶ κύστεως αἰδοίου τε, καὶ μήτρας, τὰς ἐν τοῖς σκέλεσιν, μάλιστα μὲν τὰς κατὰ τὴν ἰγνύην, εἰ δὲ μὴ τὰς παρὰ σφυρῶν. i. In renū vero affectu & veſicæ, & pudendi, & vteri, venæ incidendæ q̄ in cruribus ſunt, potiſſimū poplitis, ſin minus, at quæ in malleolis. In ſecundo autem therapauticωn ad Glauconem libro in hūc modum ſcribit: ἡ δ᾽ ἀπὸ τῆς θέσεως ἔνδειξις οὐδ᾽ αὐτὴ παροπτέα. δι᾽ ὧν τε γὰρ χρὴ κενοῦν, καὶ ὅπως αὐτὴ μάλιστα διδάσκει. τῶν μὲν οὖν ἔτι ἐπιῤῥεόντων ἡ ἀντίσπασις, οὕτω γὰρ ὁ ἱπποκράτης ὀνομάζει, τῶν δ᾽ ἤδη κατειληφότων τὸ μόριον ῥευμάτων ἡ παροχέτευσις ἴαμα. ἄμφω δὲ τὰ εἴδη τῆς κενώσεως διὰ τῶν κοινῶν ποιεῖσθαι κελεύει φλεβῶν. οἷον τὰς ἐπὶ μητρῶν ἀντισπάσεις εἰ τὴν ἐν ἀγκῶνι τέμνοις φλέβα, ἢ παρὰ τοὺς τιτθοὺς σικύας προβάλλοις, ἢ εἰ τὰς χεῖρας θερμαίνοις τε, καὶ ἀνατρίψαις, καὶ διαδήσαις. παροχε-

τεύσαις δὲ τὰς ἐν ἰγνύαις ἢ σφυροῖς, διαιρῶν, καὶ σι-
κύας μηροῖς προσβάλλων, καὶ θερμαίνων, καὶ ἀνατρί-
βων, καὶ διαδῶν τὰ σκέλη. καὶ εἰ μὲν ἡ δεξιὰ μήτρα πε-
πόνθοι, ἐκ δεξιᾶς χειρὸς, καὶ σκέλους ἀπάγων τὸ αἷ-
μα. τῆς δ᾽ ἀριστερᾶς πεπονθυίας ἐκ τῶν ἐν ἐκείνῃ κα-
τ᾽ εὐθὺ κώλων. τὸ γὰρ κατ᾽ ἴξιν ὑπ᾽ αὐτοῦ λεγόμενον
αὐτὸ τοῦτ᾽ ἐστὶ τὸ κατ᾽ ἰσότητα. hoc est, Cæterum quæ à situ sumitur indicatio, neq; ipsa negligẽda, quippe quę vnde euacuare expediat, & quo modo in primis doceat. Igitur fluxionum quæ etiamnum fluant, reuulsio medela est, (sic enim Hippocrates nominat) at earum quæ membrũ occuparunt, deriuatio. Porro euacuationis genus vtrũq; per venas fieri præcipit communes, veluti delatas in vterum fluxiones reuelles dissecta cubiti vena, aut adhibitis mammis cucurbitulis, aut si manus concalfeceris, perfricuerisue, & alligaueris. Deriuabis autem poplitis, aut malleolorum venas incidens, aut si coxis cucurbitulas applicueris, tum concalfactis, & perfrictis, atq; alligatis cruribus. Et siquidem dextra vteri pars affecta sit, misso ex dextra manu cruręq; sanguine, sin sinistra, ex membris quę huic ipsi è directo sint. Quod enim ille secundum rectitudinem dixit, idipsum est secundum æqualitatem. Ac contrarietatem in eo verti dicunt, q decimotertio therapeutices vtero phlegmonem contrahere incipiente, secandam venam iusserit poplitis aut malleolorum, secundo autẽ ad Glauconem therapeuticωn reuellendæ fluxionis causa in vteri affectibus interiorem cubi

ti venam ſecet. Quod mirum videri nõ debeat, (ſic enim controuerſiam hanc dirimunt) quum in therapeuticis ad Glauconem fluentem retrahat tantum materiam, quæ nondum vterũ obſederit, nihilq́ adhuc phlegmones inchoarit, quo fluentium ita humorum caſu reuellendos hoſce ratione illa curamus: at in decimotertio therapeutices, de vtero loquitur iam phlegmonen contrahere incipiente, quo ſane tempore deriuatio medela ſit, ideoq́ ſecãda poplitis, aut malleoli vena. Quod quo nam tandem modo perpetuo verum eſſe poſſit, fateor me plane nõ videre, vt in materia quæ membrum nondum obſederit aliquod reuellamus tantum, non autem quum parte iam aliqua firmari, membrũq́ occupare ipſum cœperit, propterea ꝙ notes aliquãdo Galenum, atq́ adeo eodem hoc in libro nempe ſecundo therapeuticon ad Glauconem id eum feciſſe videas vt fluentibus humoribus, nec minus partẽ ipſam occupantibus, colligiq́ iam cœptis ac firmari, remediũ adhibeat reuulſorium: vt quum haud ita multo ante tranſcripta iam verba in hunc modũ ſcribit: ἐκ τούτων γὰρ ὅτε χρὴ κενοῦν, ἢ μὴ κενοῦν, καὶ ὅθεν, καὶ ὅπως εὑρεθήσεται, οἷον ἐπὶ τῆς προκειμένης διαθέσεως, εἰς γόνυ φερέσθε το ῥεῦμα, καὶ τοῦτ᾽ ἐπὶ πλεῖστον ἀθρόως ἐξαιρέσθω, φαινέσθω δὲ σοὶ καὶ τὸ σύμπαν σῶμα μεστὸν αἵματος, καὶ ἡ δύναμις τοῦ νοσοῦντος ἰσχυρὰ, καὶ ὁ καιρὸς τοῦ ἔτους ἔαρ ἔστω, καὶ τὸ χωρίον εὔκρατον, καὶ ὁ νοσῶν μειράκιον, ἢ νεανίσκος, οὗτος αἵματος κενώσεως τῆς ἐκ τῶν ἄνω χωρίων δεῖται, καὶ χρὴ τεμεῖν

φυτοῦ τῶν ἐν ἀγκῶνι φλεβῶν, ἤτοι τὴν ἐντὸς, ἢ τὴν μέσην. i. Ex his enim quando euacuandum vel non euacuandum sit, atq; vnde, quo'ue id faciẽdum modo reperies, quemadmodum in proposito nunc affectu, feratur in genu fluxio, idq; celeriter plurimum excrescat, videaturq; vniuersum corpus sanguinis plenũ, atq; ægri vires validæ. Porro anni tempus ver sit ipsum, ac temperata regio, tum æger ætate adolescens, iuuenis'ue, is sanguinis missione ex superiorib⁹ partibus indiguerit, fueritq; venarum quæ in flexu cubiti sunt, aut interior dissecanda aut media.

His verbis opinor planissimũ fieri nulli non posse, etiam tunc fluentes reuelli humores solere, quum membrum iam occupare atq; ibidem colligi cœperũt, id quod ex aliis quoq; autoris huius verbis colligas. Nunc satis sit mõstrasse, quæ secundo therapeuticon ad Glauconem dicuntur de fluẽtibus intelligi etiamnum humoribus posse, sed qui tamen membrum iam obsederint ipsum, ibidemq; cõsistere iam cœperint. Alioqui frustra, quantum quidem ego videre possum, distinguendum iussisset in dextræ vteri partis affectu dextri cubiti, cruris'ue secandã esse venam, vt læui in læuæ, quandoquidem signi nihil quicquam, quod quidem certum sit, habeamus, qua nam in primis de parte humores profluãt, aut quum in membrum ipsum incumbunt, nondum tamen cõgregari cœperint, aut alias quum foras feruntur, vt in fluxu muliebri euenit, ac non nisi quum colligi hi iam cœ-

pere, ac cõsistere, tumorisq; aliquid procreare, vnde affectæ partis indiciũ capias. Neq; tamen interea nõ, & quidem recte dicetur fluentium humorum reuulsionem medelam esse, etiam si parte iam aliqua cõsistant, ꝙ fieri facillime possit vt eodem tempore, & iam colligantur, & vehementer præterea ferantur humores. Quibus sic impetu delatis, deberi dixerit retractionem Galenus, ac reuulsionẽ: tametsi reuulsione, hac eadem fiat, vt collecti quoq; humoris nonnihil euacuetur, sic tamẽ vt deriuatio humorum qui partem iam obsederũt, remedium iure dicatur ac fit, ꝙ hæc illos potissimum præq; omnibus euacuet. Fit enim ꝙ quum phlegmone iam cõsistere aliqua cœperit, ferãturq; in eam impetu concitari humores, duplex sese inde aperiat rerum peragendarum scopus: alter qui causam, quęcunq; morbum iam facere atq; hunc ipsum adaugere potest, dimouendam: alter qui quod factũ iam sit morbi tollẽdum doceat. Ac prior quidem reuulsione in primis peragitur humoris ad phlegmonen iam tendentis, qui si anteq̃ phlegmonen attingat retro atq; ĩ diuersum trahatur, nihil sane curasse phlegmones dicemus, locutione quidem exacta exquisitaq;, sed præcauisse tantum, ac ne morbus fieret cõsuluisse. In qua etiam remediorum classe sint, quæcũq; dimouendis reliquis etiam phlegmones causis adhibentur. Quicquid autem collectũ iam humorem euacuarit, id morbũ deniq; sanarit cu[illegible]q;, quando phlegmone humoris potissimũ

collectitij,

collectitij, calidiorisq; redundantia, ac timore morbus esse censeatur, sic tamē vt euacuari sem per postulet magis quàm refrigerari, cōtra quàm in erysipelatis fit. Ergo quum in phlegmone humores adhuc fluunt vna, atq; parte iam aliqua consistunt obfirmanturq; collecti, nemo certe inficias iuerit bifariam quoq; tunc sic affecto consulendum, partim fluentium humorum reuulsione, partim collectorum exinanitione. Simul etiam illud nullus non fateatur, tametsi vtranq; moliamur, reuellēdos tamen semper potius humores, quàm euacuandos de parte affecta, quū vehementiore quodam impetu inter initia citati feruntur, cursusq; eorum quasi vis quædam ingruit, vigetq;. Contraq; euacuandorum maiorem tunc habendam esse rationem, quum magna iam ex parte collectis his mitiore iam deferuntur violentia copiaq;, licet hoc quoq; tēpore cursui eorū, fluxioniq; resisti debeat. Quod non hic tantum, sed in omni propè medici munere verū esse reperitur perpetuo, quoties nunc rei huiusce, nunc illius maiorem minorem'ue rationem habemus, prout magis etiā, minus'ue queq; ingruit. Hac ratione atq; hoc exemplo, facile cōtenderim tertium phlegmones tempus, quod hi statuunt quum materia fluit, aliquaq; iam in parte firmatur, quo tempore siue dolor, seu iam phlegmone incipiat, vel increscat, siue materia maiori seu minori ad phlegmonen parte defluxerit, deriuandos semper reuellendosq; humores esse iubent; contenderim inquam di-

ducendum adhuc id temporis, neq; vt vnicam spectandam, in quo neq; vna tantum, (vti docuimus, sit rerum indicatio: quando quum concitatius inter initia feruntur humores, ac membrum tamen iam aliquod obsederunt, reuellendos magis quàm de membro euacuandos esse credamus. Euacuãdos tamen sed non deriuari'ne, de loco atq; è diuerso euacuandos magis quàm reuellendos, sed & reuellẽdos tamen quum plus illorũ collectũ fuerit, quàm fluxio vigeat. Id quod Galenum quoq; facere videas, quũ intumescere iam incipiente genu, meram reuulsionẽ adhibet, synceramq;, nempe incisa brachij eiusdem vena. Quod remedij genus & si reuellendis potissimum humoribus dicatũ sit impetu fluxuq; actis, nihilominus collecti quoq; humoris nõnihil euacuarit, quum minime certe reuulsioni aduersetur, vt humores simul reuellat atq; euacuet. Aliquot enim locis videas Galenum ita dicere, ἀντισπάσαι ἅμα καὶ κενῶσαι. i. Reuellere simul, & euacuare: & alioqui idem elitias animaduersis diligenter Galeni verbis, tam quum aphorismum exponit illum: Nolentem partẽ capitis posteriorem. quàm quum Hippocratis verba sectione altera epidemiorum sexti: ἄλλον χυμὸν. hoc est, alium humorem. Vnde luculenter (ni fallor) videre sit, fluentibus humoribus iãq; membrum aliquod occupantibus, non deriuationem semper & retractionem conuenire tantum, sed & reuulsionem aliquando, siue retractionẽ malis, vtiliter adhiberi. Quod nec sine

Galeni, vt monſtrauimus, autoritate fiat, neq́ꝫ vlla prorſus ſine ratione. Quemadmodū enim phlegmones cauſas, quas corpus quidem alere poteſt ipſum, ſed quæ tamen nōdum phlegmonen creare cœperint, dimouemꝰ ſecta vena partis quidem affici conſuetæ, ſed remotiſſima, vt in de curatione per ſang. miſſi. libello Galenus edocuit, in quo præcautrix tantum medicinæ pars verſatur. Sic certe quum partim ſubeſt cauſa quę phlegmonen faciat, partim iam facta hęc fuerit, quærenda tunc rei vtriuſq́ꝫ remedia, ac ſiquidem maior habenda cauſæ efficientis, q̃ꝫ conflatæ iam phlegmones ratio ſit, quę hoc ipſum præſtent, quod reuulſio faciat, non illa quidem remotiſſima, quæ tantū phlegmonen præcauet ſed proquinquior quædam, & (vt ita dicam) affinior: & quæ fluentem in affectam partem humorem per ſocias familiaresq́ꝫ particulæ venas inde retrahat vna, atq́ꝫ euacuet. Id qđ in ſanguinis quoq́ꝫ e` naribus fluxu ſeruatur, vt ſcilicet per propinquas, atq́ꝫ affines fluenti venę reuellamus, ꝙ fere` proportione quadam parti quæ iam phlegmone laborare cœpit reſpōdeat vena, vnde erumpit ſanguis. Hactenus certe, ꝙ vt in vtroq́ꝫ affectu reuulſionem molimur, ſic venā quærimus quę ſocietate, vti diximus, quadam adapertæ hic venę oſculum, aut alias diſruptæ, ibi vero affectam partem attingat. At quū maior iam maiorq́ꝫ ſubinde humoris vis parti incubuerit, fluat tamen nihilominus interim quoq́ꝫ is, ſed remiſſius ac placidius, tunc adhibē

da deriuatio sit, quæ ipsa & deriuare collectum iam humorem possit, & fluentem reuellere, si quis tandem fluat, quod si nullus fluat, adhuc tamē collectum euacuabimus humorem partim deriuando, partim adhibitis affectæ particulę remedijs, vt quum vel scarificamus hāc, vel cucurbitulas adhibemus, vel tale quippiam molimur. Atque hęc de deriuatione intelligi volo, quæ collecti iam humoris aliquid euacuat: nā quæ fluētem alio auocat, siue deriuat solum, hanc scimus inter initia etiam plerunque adhiberi cōsueuisse. Aliquo tamen casu, vt in pleuritide, venam tantum incidimus eam, quæ deriuet vna, ac reuellat, nempe cubiti interiorē, quæ in affectæ partis brachio sita sit. Quod eo facimus, quod reuulsionem in hoc affectu tantūmodo ex vena propinqua adeo, vt reuelli inde simul & euacuari humores possint, non sit facile inuenisse, nisi cui admixta (vt ita dicam) deriuatio sit. Simul etiā non absurde penitus opinari quempiam existimauerim, si quis in ea sit opinione, vt dicat primos phlegmonis interioris ortus nos ipsos latere, quippe qui sensui sese subtrahant, generationemque suam occultent, quo tempore reuulsio pura illa conueniret. Nam quum doloris sensu sese produnt, tunc non sane exiguum collectū iam esse humoris par est credamus, præsertim in huiusmodi affectu, in quo fomentis fere dolorem prius mitigādum tentamus. Nam in vteri inferiorisque ventris affectibus huiusmodi diuersum quippiā notętur, propterea quod brachij

in his latere eodem dissecta vena reuellat poti⁹ q̃ deriuet. Quid autem si id quoq; dicamus: dolores id causa præcipue fieri, qui licet hoc casu morbi ablatione tollatur, distentæq; partis euacuatione, ideoq; hac quidem ratione, minime doloris id factum causa dici possit, quatenus tamen humores vndiq; ad affectam partem irritãdo euocat, vehementiaq; vrget, & magnitudine excellit, ob cordis nobilissimarumq; partiũ viciniam, rei certe huiusce causa primo quoq; tempore vt euacuemus studendum, quo dolor hac ratione tollatur. Quod facillime ex lateris brachij eiusdem vena assequare, quę partim humores eo cõfluentes auocet, atq; etiam deriuet, collectum tamen magis humorẽ deriuet, quod nec pręstare poplitis, aut malleoli latere eodem incisæ venæ possint. Quę quanquam e` directo sint, longinquitate nimia tamen parum ad rem faciũt, nec si alia affectæ particulæ propinquior reperiretur, quæ reuulsione tantum humores retraheret fluentes, collecti humoris pauculo euacuato, non autem & reuellendo vna & deriuando humores alio auerterem, & collectæ iã materiæ, vim non paucam euacuaret. Nam lateris diuersi venam reijci oportere, quis est qui non videat, paulum modo occulatus: vel eo in primis nomine, q̃ nulla illi cum affecta parte societas, qualis quidem hoc casu quæritur; non enim κατ᾽ ἴξιν. i. e` directo. Atq; his de causis deriuatiuam euacuationem in affectib⁹ huiusmodi vtilitate quadam cæteras pręteruertere credi

derim, in doloribus enim proximum incidere ventrem oportet, & deriuantem credere expedit, quo dolore, vt ibidem Galenus attestatur, sedato, efficatius reuulsorijs vtaris remedijs, quod quum facimus, præpostero quodam ordine recte tamē facimus, causisq; quas iam attulimus, coacti. Rei enim ordo huius ita habet, vt nisi transuersi causa aliqua necessaria, atq; (vt ita dicam) sontica agamur, causam futuræ iam phlegmones, quam corpus morbificam alat, priusquam hanc ipsam creare incipiat, reuulsione auferamus, quæ adauctis semotissimis, quantum fieri potest, partibus, cultello, vt Hippocrates dicebat, perficiatur. At quum phlegmonen iam faciunt humores, horumq; vna fluxio viget, hoc tempore reuulsionem etiamnum adhibeamus quidem, sed quæ prȩterquam quod egregie reuellat, collecti etiam humoris aliquid propinquitate, ac vicinia quadā euacuet, post autem quū maior huiusce constiterit iam copia deriuando magis quoq; euacuemus, simul etiam fluentib9 humoribus reuulsis: postremo quum nihil amplius humorum affectæ parti fluxu additur, collectam tantum materiam eliciamus, idq; deriuādo partim, partim etiam scarificatu, alijsq; id genus remedijs, idq; sic de deriuatione loquamur, quæ collectū deriuet humorē ipsum, atq; euacuet. Nam quæ fluentem in affectam partem humorē alio deriuat, ea recte initio quodq;, sicuti antea diximus, persæpe adhibetur, vt cum alibi, tum vero eodem therapeutices libro nēpe deci

mo tertio facit Galenus. Sic enim ait: ἄμεινον οὖν ἐπὶ τὴν ῥίνα παροχετεύειν ἀρχομένων τῶν κατὰ τὸ ϛόμα μορίων φλεγμαίνειν. hoc eſt, Satius itaq; fuerit in nares deriuare, oris partibus phlegmonen contrahere incipientibus. Eodemq; modo ibidem crure affecto cruris alterius venam incidit, quum eodem tamē verſu affecta manu crus diſſecet, eo nimirum ꝙ deriuatio ipſa etiā inter initia cōmodiſſime perſæpe adhibeatur, vt cuius duplex ſit ratio, partim qua collectum iam in parte humorem euacuat, qua fere nomine poſt reuulſionem, niſi quid aliter ſuadeat, admittitur. Partim qua humoris impetū, ſed qui nondum tamen loco ſe inſinuarit, alio perſæpe deriuat, qua plane gratia etiam inchoante phlegmone adhibebitur vtiliter, ſic fit vt ob geminum huius vſum, diuerſa hæc, atq; diuerſo tempore præſtare facile poſſit. Quo ī negotio (vt ad rem redeam) non video quo nam tandē pacto diuerſum ſtatuatur tempus id, quo ita fluit materia vt nulla ī corporis parte cōſiſtat, quod in ſanguinis è naribus, aut ſuperfluo menſtruorū fluxu euenit ab eo, in quo fluens materia parte iam firmari aliqua, eamq; occupare incipit, quandoquidem, quantum quidem ad fluentis ita materiæ retractionem attinet, eadē vtrobiq; ſemper adhibeatur venæ ſectio. Sic enim venā puto ſecaremus dextri cubiti humeralem, quū ex dextra prorūperet nare ſanguis, atq; quum adapertæ venæ oſculum, aut alioqui diſruptæ, quæq; eam attingunt partes phlegmone labo-

rare inciperent, nimirum eadem vtrobiq; ratio venã scilicet inuestigandi, quæ ita distet, vt proximitate tamen quadam sanguinem ibi ex apertæ venæ parte fluentem, hic vero retrahere collectum possit. His itaq; ad hunc modum omnibus notatis, nihil esse contrarietatis dixerim in retro descriptis Galeni verbis, siquidem vtrobiq; tam scilicet ĩ decimo tertio therapeutices, poplitis aut malleoli venam incidit, q̃ in secundo ad Glauconem therapeuticωn: quanquam hic prius reuellendę humorum eo tendentium fluxioni, cubiti secet venam, quæ tametsi potissimum reuellat, nonnihil tamen collectitij etiã humoris educit. Non facit autem id decimo tertio therapeutices, q; deriuatiua sanguinis missio etiã inter initia vtiliter sola adhibeatur, quũ præsertim magis iam, magisq; in affecto, verbi gratia, vtero humoris vis constiterit. Non solũ enim quum nihil iam in affectã partem humoris influit deriuãdo, quod collectum fuerit, extrahimus, sed etiam ingruentem humorum fluxum antequam phlegmonen incurrat, alio deriuamus. Et alioqui licet de vtero phlegmonen cõtrahere incipiẽte, loquutus videri possit Galenus libro therapeutices decimo tertio, quo in loco poplitis, aut certe malleoli dissecandã venam iubet, de recentius tamen inchoante vteri phlegmone, accipienda contenderim verba libri ad Glauconẽ secundi, quibus ex cubito sanguinem mittit, in huiusmodi affectu, q; videlicet hæc humorum impetum concitatius inter

initia actum retro fluere cogat. Etenim quemadmodum ex Galeni quoque ipsius sententia in libello de curatione per venæ sectionē, recens renum phlegmone misso de cubito sanguine iuuatur, at inueteratior ex poplite aut malleolis: eodem exemplo, quantum quidem ad hāc spectat rationem, dixerimus recentiorem vteri ipsius phlegmonem ex dissecta cubiti vena iuuari, minus recētem ex poplitis malleoli'ue. Verba porro de renum phlegmone, ex iam citato libello hæc sunt: νεφροὶ δ' ἐπαμφοτερίζουσι κάτω μὲν ὄντες ἤδη τῶν πρότερον εἰρημένων, ἄνω δὲ τῶν δεύτερον. διὸ καὶ ταῖς ἀπ' ἀγκῶνος ἐνίοτε φλεβοτομίαις ὑπακούουσιν, ὅταν ἥ τε φλεγμονὴ πρόσφατος εἴη, καὶ πλῆθος αἵματος, ἐφ' ὧν δὲ ἡ διάθεσις ἐστὶν, ἣν ἰδίως καλοῦσιν νεφρίτιν, τὴν κατ' ἰγνύαν ἐπὶ τούτου χρὴ τέμνειν, ἢ πάντως γε τὰς κατὰ σφυρὰ φλέβας. αἱ δὲ τῆς μήτρας φλεγμοναὶ, μᾶλλον ἔτι νεφρῶν, ὑπὸ τῶν ἐν τοῖς σκέλεσι φλεβῶν τεμνομένων ὠφελοῦνται. i. Renes autem ambigunt, qui prius iam dictis inferiores, vt his quæ secundo loco numerauimus superiores sint, quo fit vt misso interdum ex cubito sanguine iuuentur, quum quidem recens fuerit phlegmone, redundetque sanguis. Nā qui affectu laborat, quem proprie nephritin appelles, in ijs poplitis aut certe malleolorum venas incidas necesse est. Porro vteri quoque renum phlegmone magis etiam sectis crurium venis iuuātur. Vt iam ex postremis his de vtero verbis id quod diximus colligas, minus scilicet recētem vteri phlegmonen ex popletis

aut malleoli vena curari, renum vti diximus,
exemplo. Atq; hac eadem via pergam⁹ licet ad
componenda Galeni dicta, quæ in secūdo the=
rapeuticωn ad Glauconem minime cohærere
videntur, quo in loco prius affecto genu cubiti
venam secat, vt rettulimus, idq; facit reuulsio=
nem moliens. vt post eodē in libro: τῶν κώλων
δ' αὐτῶν, inquit, πεπονθότων, ἀπὸ τῶν ὁμοζύγων ἡ
κένωσις, εἴτ' ἀντισπᾷν εἴτε παροχετεύειν ἐθέλοις. i.
Membris autem ipsis extremis patientibus ex
coniugato euacuabis, siue reuellere, siue deriua
re pares. Qua sane ratione genu, verbi gra=
tia, dextro male habente sinistri incidenda ve=
na. Sed si quis mentem acriter intēdat, videbit
is, idem quod ante monstrauimus, sub primū
scilicet humorum fluxum quum inter initia in
partes decumbunt, siue illi extra corpus prorū=
pant, quemadmodum in sanguinis è naribus
aut ab vtero fluore fit, siue intus maneant affe=
ctusq; creare iam incipiant, vt hoc casu à Gale=
no descripto, quum in genu ingruit fluxus, re=
uelli tunc oportere humores in contrariū, atq;
antea ferebantur retractos: at quum maior iam
humorum vis parti incubuerit, neq; tamen nō
& humores adhuc ferantur ipsi, aptius tunc eos
non reuellendos solum, sed etiam de loco ipso
euacuandos deriuādosq;, ea lege vt primos hu=
morum impetus, ac phlegmones initia reuul=
sio illa, vlla absq; deriuatione cohibeat vnaq;
aliquid euacuet. At occupātem iam magis, ma=
gisq; partem ipsam humorem simul & fluētem

alium reuellamus vna, ac deriuemus. Faciũt ita vt opiner, præter ſuperius allata Galeni ſecũdo commentariorum in ſextum epidemiorum libro verba in verborum enarratione Hippocratis: ἄλλον χυμὸν. i. alium humorem. quæ ita habent: πάλιν οὖν ἀφ᾽ ἑτέρας ἀρχῆς εἰς τὶ χρήσιμον ἀγάγωμεν ὡς οἷον τε τὸν λόγον. ἐπεὶ γὰρ ἔφη. τὰ ἄνω ἀρθέντα κάτω λύειν, καὶ τὰ ἐναντία τὸ αὐτό. τὰ μὲν ἀρθέντα, τὰ οἷον ὁρμήσαντα δηλοῦν ἡγητέον, ἵνα περὶ τῆς πρώτης γενέσεως τοῦ πάθους ὁ λόγος αὐτῷ γένηται, κελεύοντι πρὸς τοὺς ἐναντίους τόπους ἀντισπᾷν αὐτίκα. κάτωθεν μὲν ἐπὶ τῶν ἄνωθεν ἐχόντων τὴν γένεσιν, ἄνωθεν δὲ ἐπὶ τῶν κάτωθεν. ὅπως τῷ μὲν αὐτῷ λογισμῷ χρώμενοι τὴν βοήθειαν ποιώμεθα, πρὸς διαφέροντας δὲ ἄγωμεν τόπους. ἐὰν γοῦν αἰσθώμεθα κατασκήπτον εἰς πόδας, καὶ σκέλη ῥεῦμα διὰ τῶν κάτ᾽ ἀγκῶνα φλεβῶν ἀφαιρήσομεν αἵματος, ἢ καθαίρωμεν ἐμέτοις, οὐχ᾽ ὥσπερ ἔνιοι νομίζουσι, μηδέποτ᾽ ἀντισπᾷν ἄνω, κᾂν εἰς τὰ κάτω χωρία τὴν ὁρμὴν τῶν χυμῶν ποιησαμένων, μέγα τὶ μέλλει γενέσθαι πάθος ἐν αὐτοῖς. i. Repetito igitur rurſus initio, quoad fieri poteſt vtile aliquid oratione noſtra tractemus. Nam quũ dicat ea, quæ ſurſum ſublata ſunt, inferius ſoluenda, contrarioq́ ea quæ contrario feruntur modo, ſublata eum, ea intelligere cẽſendum eſt, quæ quaſi curſus ſui impetum cœperunt, ſic vt de prima affectus generatione ſermo illi inſtituatur præcipienti, vti confeſtim ad contraria loca reuellamus, ac inferius quidem ſi ſupra conſiſtant affectus; ſuperius autem ſiquidem inferius, prorſus

vt eodem vsi ratiocinio remediū adhibeamus, cæterum ad diuersa ducamus loca. Itaq; si decū bere in pedes & crura fluxionē senserimus, sanguinem de cubiti venis mittemus, aut vomitu purgabimus, nō quemadmodum nonnulli opinantur, qui quum ad inferiora cursus impetum cœperunt humores, etiam si magnum inde affectum sensuræ partes sint, nunquam ad superiora reuellant. Quæ si diligenter expendantur verba, reuulsionem eam quę contra ac materia fertur, fit in prima statim affectus consistentia adituq; solere proculdubio apparebit. Præter alia enim verbum αὐτίκα. i. confestim, id significare videtur, & alioqui laborante genu quod dissecta cubiti vena præstat vt retrorsum ferantur humores, idem sicuti docuimus præstiterit incisa poplitis, quę diuersa licet ratione eodem tamen vsu humores eosdem aliorsum agat. Cæterum scio eminentissimos medicorum hac tēpestate in ea esse opinione, (siquidem recte eorum sententiam colligo) vt quod superius etiā tractauimus, fluentibus tātum humoribus, necdum partem corporis aliquam occupantibus, reuulsio motui materiæ contraria competat: at quum fluūt vna, partemq; iam corporis aliquā obtinent, siue eorum parua, siue maior iam vis incubuerit, tunc deriuandi simul & retrahendi tantummodo sint. Quorum ego quum autoritati lubens (vt debeo) assurgam, nolētem me ab eorum opinione retrahit, & tanquam manus inijcit Galenus eo loci, quo & in genu decum-

here humores asserit, & in tumorem id assurge-re: quod profecto nihil aliud sit quam phlegmonen iā cœpisse, quo tamen casu reuulsionē statim adhi bet citra deriuationem, nempe cubiti venā inci dens, quam nullus non medicorum ad contra-rium motus materiæ, vt ipsi loquuntur, reuulsi uam esse affirmet. Neque id iniuria facit quando quidem, tametsi magis collectam iam materiā euacuatio ea dimoueat, quæ reuulsoria vna est, atque deriuat. Id tamen aliqua certe ex parte re-uulsoria etiam tantum prȩstiterit, sicuti cum ali bi tum in enarrationis illius in sextū epidemio-rum verbis, docet Galenus, quæ superioribus mox annectit: τοὺς μὲν γὰρ αἱρομένους ἄνω χυ-μοὺς, τοῦτ᾽ ἔστι μετεωριζομένους ἀντισπᾷν χρὴ κά-τω μὴ καλῶς ὁρμῶντας, τοὺς δ᾽ ἔμπαλιν ἐναντίως. οἷον ἐπὶ κεφαλῆς κάθαρσίν τε διὰ ὑπηλάτου φαρμά-κου παραλαμβάνοντας, καὶ φλεβοτομίαν ἀπ᾽ ἀγκῶ-νος, ἀμφότερα γὰρ ἐκκενοῦσι, καὶ ἀντισπῶσι κάτω. hoc est, Nam sursum actos humores, id est, in al tum erectos inferius reuellere conuenit, siqui-dem non recte ferantur: at qui contra fluunt cō trario retrahendi modo, quemadmodum si in capite purgatorium adhibeamus medicamen-tum, ac cubiti venam secemus, vtraque enim eua cuabunt simul, & inferius reuellent. Neque ta men ob id perpetuo censendum verum esse, vt reuellamus prius, deinde deriuemus quando quum adhiberi reuulsio aliqua de causa, vt in pleuritide docuimus, sola non possit, & alio-qui omissa ea fuerit, iamque magis, magisque feran

tur in affectam partem humores, tunc opportu ne opinor, etiã si nulla antea facta reuulsio sit, deriuabimus. Quæ nos omnia non sane quo aliorum eleuaremus autoritatẽ hac in re dispu- tauimus, sed vt studiosis ea inspiciẽda eruditio- ribusq; discutienda proponeremus.

Appendix enatiωmatis superioris.

REdit mihi hoc loco labor ꝓpe immẽsus, aduersus hoĩes exantlãdus eruditissimos summosq; hac tempestate anatomes instaura- tores, in quorum nuper libellum incidi, aut epi stolam potius quandam, in qua quęstionem de secãda in lateris dolore vena toties iam in scho lis exagitatam, tot eruditissimorũ in primis ho- minum scriptis iustis prope voluminibus dili- gentissime discussam, corroboratam argumen- tis, rationibus firmatam, autoritate suffultam, nouo ipsi inuento contra aliorum omniũ opi- nionẽ decidere adnixi sunt, validis sane in pri- mis, quæq; rem prope ipsam demonstrare vi- deantur, vsi ad constituendum hoc argumẽtis. Quę quum se mihi primore statim facie probas sent, cœpi illorum ingenium admirari, & exo- sculari doctrinam, tum eruditionem suspicere, minime profecto triuialem, qui tantum iam in re medica promouerint, vti non solum primæ illis deferantur hoc tempore omnium consen- su partes, anatomes explicandæ, rei per se diffi- cillimæ, sed etiam multa his referantur iam ac-

cepta, quæ Galenum quoq; ipsum fugerint, de partium dico nonnullarum humani corporis situ, figura, numero, alijsq; id genus: quæ ipsi omnia, oculorum semper fide, (vt audio) attestante, euidentissime sub aspectum volenti ponant, sic quidem nullus vt nisi animo refractario, reclamare perspectissime queat. Qua sane diligētia factum iam fuerit, vt quæcunq; ad explendā medicinæ partem hanc, atq; absoluādam desyderari posse videbantur, ea iam teneamus omnia, aut nō multum certe factū reliqui sit, quod optem9. Qua de re gloriari sane libet id nobis muneris, nostra potissimum ætate cōtigisse, ac gloriaturos Galeni quoq; in primis manes, facile mihi persuaserim, si quid illi rerum nostrarū sentiunt, quum tot pro studiosis exhaustos sibi olim labores non excoli solum, nouosq; semper, atq; indies nitidiore vbiq; facie aspectuq; expolitissimo renasci, sed etiam assidua multorū subinde industria magis quottidie, magisq; locupletari videant. In quo nostræ ille felicitati, qua erat humanitate, inq; studiosos omnes charitate gratuletur sane, nec minus gaudio interim exultet, tot iam reperiri vbiq; locorū gentiumq; viros gnauos, & industrios, qui illi9 vndiq; conquisita librorum monumenta partim diligentissime emaculent, mendisq; omnibus expurgent, a situq; vendicent, eorumq; studiosis omnibus obuia propemodum manu proponant in medium vsum thesaurorum tantorum tam vili; partim vero enarrationibus certatim

illustrata explicent, apertissimis, politissimisq́;
partim etiam nouis semper augeant incrementis, varijsq́; honestent appendicibus. Tum mutilo plerunq; corpori mancoq́; assuant, quæ desyderari videntur partes, ac membra quædã ad reliqui corporis instar tam egregie formata delinient, tenuiq́; veluti commissa glutino, & coagmentata adnectant, vti cum eo prope aliquãdo nata videri non immerito possint. Qualem in primis operum, quod libenter fateamur omnes, strenue hactenns nauauerunt ij, de quibus diximus, qui deploratam prope, & delitescentem, situq́; ac tenebris immensam altissimis medicinæ partem eam, quæ anatomen tractat, intrepide susceperunt instaurandã illustrãdamq́;, atq; adeo, quod sperare debemus omnes, absoluendam: sed sicuti hoc potissimum nomine lætari Galeni manes, ita illo non leuiter affici crediderim, quoties librorum eius lectione adiuti, inq́; illius prope dixerim nido educati altiq́;, & studijs ad tales tantosq́; vitæ humanæ vsus formati, eam deinde gratiam referimus, si Dijs placet, vt illum subinde quacunq; tandẽ in parte vellicemus, auisq́; illius coccygis turpissimę, ingratissimæq́; exemplo discerpamus, notasq́; autori tanto interdum etiam inuramus altissimas, oscitantiæ, inscitiæ, inconstantiæ, idq́; temere nunquam non fere & ex præcipiti, sicq́; vt plerunq; collibuit inconsyderatius. Nam si quis Galeni aliquando dictum aliquod in dubium reuocet, minimeq́; id verũ esse coarguat;
aut

aut sententiam eius alioqui falsitatis condẽnet, non id ego piaculum duxero, siquidem homo & ille, modo id veritate nex⁹ faciat. hoc est, modo perspecta id demum re, acriterq́ examinata, ac diligenter perpensa efficiat. Quod qui fecerit inq́ cõsilium semper adhibuerit exactã diuturnamq́ secum consyderationem, nę is pauca admodum atq́ ea parui prætij inueniet, in quibus Galenus offenderit. Nunc quum contradicendi sæpenumero studio tantum, aduersusq́ coryphæos etiam autores ipsos velitandi negotium tractemus literarium, fit vt interdum volentes scientesq́ oppugnatũ eamus firmissimis etiam præsidijs munitissimam veritatem, interdũ incessendi, inuehendiq́ studio illo voluptateq́, propè dixerim, illecebrosa pellecti, transuersiq́ acti ac decepti φιλαυτίᾳ verissimas nos tueri partes arbitremur, continuoq́ ac stantes potius q̃ sedentes de hominibus pronuntiem⁹ eminentissimis, sentẽtiãq́ in eos feramus ignominiosam, idq́ ἐρίμῃ δίκῃ, quo nihil iniquius. Quod mihi quoq́ propè vsu venerat dieb⁹ superioribus, dum epistolam legerem illam, pene vt Galeni iam mecum non satis admirari ignorantiam possem, aut negligẽtiam damnare, qui in re tam vsitata, medicoq́ vsu tractatissima, tã (vt mihi quidem tunc visum fuit) lapsus imprudenter esset, siue id vis fecerat argumentorum primitus mihi egregie imponẽtium, siue aures demulserat blandus orationis tractus quidam, rei etiam alioqui nouitate commendatus: quo

ſic me detentum fateor, vti in tranſcurſu poti⁹ omnia quodam perlegere neceſſe habuerim, nimirum ductante me ad epiſtolę ſemper calcem quodam quaſi filo orationis nō infeliciter rhetoricantis, nec permittente vt retro ſaltem aſpicerem, ad acrius quæ percurreram examinandum. Atq; ea ego quum iterato animoq; ſedatiore legiſſem, cœpit mihi ſeſe rerum aperiri facies minime antea apparentium, ac prorſus veritatis cuiuſdam vultus detegi, niſi plane decipior. Quam qualiſcūq; tandem ea ſit, libuit his chartis demandare, non ꝙ calamo minime credenda eſſe omnia neſciam, aut ſcripturæ temere committenda, prę ſertim ſi res tibi cum viuis adhuc & ſpirātibus ſit, quos hoc pacto ſæpenumero tanquam infeſtiſſimos in te crabrones irritaris egregie aculeatos: ſed ꝙ futurum potius ſperem, vt ſi quando rerum harū ſtudioſi in noſtra hæc incident, ſiquidem illis non probabuntur, non grauatim erratorum me admonitum curent. Nam vt ea probēt, niſi ex animo demū ita illis viſum fuerit, id vero nihil moror, de epiſtolæ autem autoribus nihil vereri debeo, ſiquidem vera ſunt quæ de illis diligenter inueſtigata audiui ex ijs, qui homines propius nouerūt, præter exactam eruditionem, eſſe eos inſigni quoq; humanitate præditos, ac minime tales, qui ſuſpitioſe cōtumeliam interpretaturi ſint, ſi quis iuuandæ rei literariæ cauſa, inq; ſtudioſorum gratiam rem in dubium reuocet, quam ipſi alioqui aſſeueranter affirmare non ſint ve-

riti. Vereri inquã de his non debeo, ne si quando nostra hæc in manus sument legenda, nõ & candido ea animo percurrant, & in meliorem interpretentur partem, & si quid, quod fieri facile potuisse non negauerim, deprehenderint in quo offenderim, amice me statim sententiæ melioris admoneant. Quod tam non sum ego ęgre laturus, vt id summi etiã beneficij loco deputaturus semper sim, quum minime certe omnium deceat nostræ conditionis homines, hoc est literis ab ineunte ætate ad humanitatem institutos, altercationibus his, & digladiationib⁹ animorum turpiter mutuo offensionem incurrere. Hac igitur proposita mihi in primis lege, quid ego super re hac senserim, aperiã: sed prius operæpretium fuerit, illorum vt habet sententiam exposuisse, quam argumentis conati sint adstruere multis. Sed hoc in primis, quo quasi inconcusso fundamẽto nituntur, opinionemq́ue ipsi erigunt suam & tanquam exædificant, verborũ nimirum duorũ κατ' ἴξιν, siue καθ' ὀλὺθὺ, noua quadam, vt ipsi quidem aiunt, interpretatione, vt ego credo videorq́ue mihi propè meminisse, ab alijs longe ante illos excogitata. Hanc enĩ primus, quod sciam, omnium vna cum venæ lateris eiusdem sectione, inuexit Petrus Brissot⁹ vir, siquidem frui illi diutius lucis huius vsura contigisset, doctissimus futurus, quiq́ue post Leonicenũ secundas in depellenda barbarie, arteq́ue excolenda medica laturus facile fuerit. Sed vtrilibet tãdem hoc inuulgarint primi, illud potius

disquirendum, recte ne, an perperam factũ hoc ab illis sit. Porro summa opinionis huiusce, reiq; totius caput ad hunc modum se habet, verba κατ' ἴξιν, quemadmodum & καθ' ἰξὺ, quę nullus non è directo interpretetur, siue secundum rectitudinem, vnde deducta sint non facile constare, reiq; huiusce rationem alios ne in trãscursu quidem attigisse, se autem ex venæ filamẽtorum, siue fibrarum consensu, rectitudineq; desumpta opinari, quarum etiam diuersitatẽ subinde indicent, rectarum, transuersarũ, obliquarum. Hippocratem igitur, quum dixit secundũ rectitudinem secandam esse venam, siue deriuationem, siue reuulsionem moliaris, per rectitudinem fibrarum rectitudinem obseruandam esse, atq; cõsensum peritissime insinuasse, propterea quod seruata huiusmodi rectitudine in venæ remotioris sectione, melius humor in partẽ affectam fluẽs iam, aut post fluxurus reuellatur, tum etiam deriuetur dissecta viciniore. Neminem enim sanæ mentis iturum inficias, in venę sectione naturales facultates, quibus venæ corpori, dum illi sanguinẽ suggerunt, famulantur, torpere, atq; otiosas reddi, interim vero educẽdo sanguini versus impactũ ipsis vulnus, reuinctionemq; dolorificam illam, & frictionem, aquam'ue calentem plurimum facere transuersas, rectasq; fibras. Postremo Galenum quoq; ipsum fluxus rationem, quæ ob dolorem in inflammationibus cõtingat, libro therapeutices decimo tertio, ad naturæ facultatem excretoriã

deduxisse, quæ suo munere tunc fungitur, quũ triste aliquid sentit, cõtristare autem eam doloris quoq;, quæcũq; tandem ea sit, causam. Quã dum eijcere properat, primisq; suis conatibus nihil proficit, vehementius deinde quod infestat, aggredi, sicq; sanguinis aliquid ac spiritus ex superpositis partibus, in afflictam simul partem exprimere, quod phlegmonen ĩterdum in particula cõcitet. Porrò nisi quis fateatur facultatem hanc excretoriam sanguinem fibris suis, dum secatur vena educere, hancq; ipsam ad particulæ subsidium attrahi, rationem iniri posse nullam, qua ex inferioribus ad superiora, a dextrisq; in sinistra, sanguis in venæ sectione confluat. Ad hæc nihil aliud indicasse priores medicos, qui per duos diametros secãdam venam prohibuerint, quã eiuscemodi sectione fibrarũ rectitudinem, atq; consensum tolli, neq; iam aliã excogitari posse rectitudinis rationem, quæ non statim ad hanc referatur. Etenim si quis rectitudinem pro recta linea capiat, eam à dextra quidem capitis parte, ad pedem dextrum seruari, tolli autem ad dextram manum, tolli etiam si quis manum ad crucis effigiem extẽderit, tolli in acutissimo corporis totius angulo, qui fiat quoties laborante pede dextro, sinistri venam secamus. Quod si quis per rectitudinem intelligendam esse vnam corporis partem cõtendat, quo ferè modo Hippocrates δίδυμον corpus esse tradidit, ac dextra dextris, sicuti sinistra sinistris mutuo respondere consensu, iisdem id im-

probari rationibus, præter alia enim quemadmodum in dorsalis medullæ affectibus contingit, vt ob talem diuisum partium cõsensum, plerunque media illius pars, altera illæsa permanente, resolutione corripiatur, sic sanguinem in vena, septo quodam secundum longitudinem, diuisum fingi necesse esse. Tum vero multo magis opinionẽ hanc Galeno aduersari, qui sectionem venæ in dextro malleolo peragat sinistro laborante, & Hippocrati qui in fronte, affecto occipitio. Quod si quis alterius manus venam, altera affecta manu in corpore incidat, in quo axillares venæ à caua ante magnum ĩ glandio diuaricationem propagantur, longe hunc magis incisionem istam accusaturum. Tum sententiæ huic quendam tanquam colophonem adijciunt, inconsutæ vestis alicuius similitudiuem, in qua euulsa filamenta fibrarum naturam referant, facileque ostendunt, extrahendorum filorũ rationem eãdem, ac fibrarum rectitudinis esse. Hoc sic veluti fundamento iacto addunt venã ἄζυγον. i. coniugis expertem, paulo supra dextrã cordis auriculam in dextrum protẽdi latus, spinæque itidem dextræ regioni innixam deorsum ad vltimam vsque thoracis vertebram, ac primã secundamque lumborũ contorqueri, atque vtrinque singulis mutuo sibi correspondentibus costarũ interuallis, singulos ramos insignes satis cõmunicare: (tametsi super re hac variasse multis ĩ locis videri possit Galenus, nec sibi vsquequaque constasse:) sicque fieri vt nomen inferiores thora

cis costæ vena hac coniugis experte nutriãtur, superiores autem tres venula a` caua orta, fere` sub axillaris ipsi9 originem. In costarum igitur superiorum trium, siue intercostalium partium phlegmone, nobis plane` cum illis cõuenit: nã latere semper eodem secandam esse venam concedunt, non concedunt autem quum nouẽ inferiores costæ affectæ fuerint. Quo casu secandã dextri semper brachij venam contendunt, siue sinistra thoracis, siue dextra laboret pars. Nam sanguis, inquiunt, in sinistra parte collectus nũquam extrahetur, nisi prius ad venę sine pari ortum deducatur, cuius sane` fibris venæ sinistræ partis consentiunt omnes, suntq; illi vicinæ admodum: sed laborante venæ sine pari, ortu procul dubio, omniumq; cõsensu dextri brachij vena secatur. Conuincitur ergo sinistra quoq; corporis parte adfecta venam secandam dextri cubiti, nimirum ob fibrarum rectitudinem, atq; consensum, qp tam reuulsio, q̃; deriuatio hac potissimum ratione peragatur. Præterea vicinitatem quæ in deriuatione spectetur in primis nõ tantum esse, a` sinistræ partis adfectu ad sinistrũ cubitum, quantam a` dextræ ad dextram, quandoquidem dextro cubito propinquior sit q̃; sinistro venæ coniugis expertis origo, per quam permeare sanguinem necesse sit, quacunq; tandem ex parte nouem inferiorum costarum deducatur. Quin si quis in ea sit hæresi, vt hoc casu poplitum aut malleolorum sectionem præferat, huic eadem ratione dexterioris semper pe-

dis incidendã venam. Sed nos neq; de hac, neq; vero de ea nonnullorum opinione disputamus hoc loco, quæ alterius semper brachij secãdam esse venam contendit, partim solam, partim inter initia reuulsiõis ergo, q eas satis arbitremur explosas ab eruditissimis viris, quibus ij tamen dum contradicunt, conanturq; in sententiam suam trahere pauca quędam de vicinitate disputant. Quam si quis sequatur solam, ac non fibrarum potius rectitudinem consensumq;, longe hunc opinione sua falli dicunt, quũ in superiorum costarum trium affectu diuersi brachij, siue cubiti incisa vena ab alterius vena medij tantum pollicis latitudine distet: se vero obseruasse plerunq; nihil differre siue supra cubitũ axillarem diuiderẽt, siue sub cubiti articulo sesquipalmæ interuallo. Experiendi enim interdum gratia bis sibi apertos axillaris venæ ramos sub cubiti media regione feliciter respondisse, qua quidem in sectione, quum lõge maius q̃; dimidiati pollicis, de quo illi inter se digladientur, spectetur interuallum, fieri necessario vti, siqui dẽ vinicitatem tãtum distantiam'ue sequamur, ne pilo quidem redimendum sit, (sic enim ipsi aiunt) vtracunq; tandem in parte secetur vena: sed aliud omnino esse quod obseruare semper debeamus, nobile illud scilicet Hippocratis de venarũ rectitudine consensuq; placitum. Dein de disputationem totã hac veluti coronide quadam finiunt, sic vt diuersis rationibus argumentisq;, quæ videre est, demonstrare nitantur, ra-

renter admodum, aut nunquam potius contin-gere, vti superiorum costarum trium spatium, phlegmone corripiatur. Quo tantum casu eo-dem semper latere diuidendam esse venam con cesserant. Quod quum ita habeat, colligi neces sario posse, inq; vniuersum pronuntiari, & tan-quam edicto statui in omnibus laterum thora-cis, aut vertebrarum metaphreni inflammatio nibus, si sanguinis missionem adfectus præscri-bat, secandā esse axillarem dextram. Hoc enim ipsi de consilij sui sententia quasi decretum sci-scunt, cui nisi contradicatur, ἐπιψηφίζειν necesse sit, quotquot hodie medicinam profitemur o-mnes. Atq; hāc ipsi à se primum excogitatam de vena in pleuritide secanda sententiam, quū Hippocratis quoq; autoritate confirmaturi es-sent, qui in secundo de victus ratione morbo-rum acutorum, internam cubiti venam secan-dam esse dicat, hoc dicto dextram tantum intel ligendam esse asserunt, q fere quū absolute ita pronuntiamus, cubiti dexterioris intelligatur semper vena. Nec iā aliter sentire Græcos, Ara basq; autores quoties nunc axillarem, nunc hu merariam, nunc communem secandam esse ve nam iubent, nulla dextræ mentione facta, quā taciti tamen innuant, id quod hodieq; vulgus factitet medicorum præcipientium basilicam, aut cephalicam incidēdam, qui quidem dextrā animo concipiant, etiam si sermone id aut scri-ptura minime proferant. Verba autem Hippo cratis illa quarto de ratione victus ī morbis acu

tis quibꝰ apertiſſima voce ac clariſſima venam ſemper affecti lateris ſecandam eſſe teſtatur, veluti adulterina reijciunt, quãquam hoc religioſe admodum facere videantur, propterea ꝙ Galenum videant Hippocratis hac in re ſententiã agnoſcere, verbaqꝫ ea autoris huiuſce genuina ac legitima ĩ primis eſſe aſſerere. Hęc ferè ſunt, quibus opinionem ſuam erigere, atqꝫ adeo confirmare adnixi ſunt. Nam cætera quãquam eruditiſſime ac doctiſſime ſcripta, propterea ꝙ aut aliena prorſus à re hac, quam nunc tractamus, ſunt, aut ſententiam noſtram minime infirmãt, circunſcripſimus omnia. Quo ſanè in negotio, quum controuerſia (vt mihi quidem videtur) in eo verſetur tota, ſit ne fibrarum in ſecanda vena rectitudinis conſenſusqꝫ habenda ratio: idqꝫ ſenſerit Hippocrates, an commentum potius hoc ſit minime Hippocratis placitis adſcribendum: illud præ omnibus examinemus, quo firmiter inconcuſſo perſiſtente, ac nequaquam ſede ſua moto, manꝰ demus victas oportet, diſiecto autem cætera quoqꝫ corruant vna omnia neceſſe eſt. Primũ igitur ratione aduerſus ita opinãtes pugnabimus, deinde quũ Hippocratis quoqꝫ in primis nitantur autoritate, aperte (niſi fallor) oſtendemus lõge aliud q̃ fibrarum rectitudinem intellexiſſe Hippocratẽ, verbis his: κατ᾽ ἴξιν, ſiue καθ᾽ εὐθὺ, Galeni autẽ (quod quidem ad rectitudinem hanc pertinet quã verba hæc ſignificent) autoritatem clariſſimã pleriſqꝫ in locis ac manifeſtiſſimam, ſilere prorſus.

permittemus, quoniam eo iam ventum est, vt nullo hæc prætio æstimetur, eiusq; iam eleuata testimonia a` nonnullis videamus, quod de autore tali tantoq; dolendum profecto sit ac quærendum, sed non est nunc querelæ locus, quamobrem ad propositum redeundum. Triplici igitur fibrarum genere, quibus contextæ visuntur venæ, rectarum, trãsuersarum, obliquarum: triplicem quoq; sortiri eas facultatem aiunt, attrahendi, excernẽdi, cõtinendi: itaq; naturales has facultates, quũ dissecta vena fuerit, feriari quidem otiosasq; esse, rectis tamen interim fibris illis ac transuersis, venas ad sanguinem propellẽdum plurimum conferre, huius scilicet ad inflictũ sibi vulnus, & ligationem dolorificam, frictionemq; aut calidæ perfusionem transmissione. Ad hunc modum rectis transuersisq; venarum fibris, impelli versus impactum ipsis vuln⁹ sanguinem dicunt. Ego cõtra transuersarũ hoc tantum munus esse crediderim, rectarum nunquam, quippe` quæ attrahendo solum polleãt, siue naturales spectẽtur earum functiones, siue præternaturales, hoc est, & quum excrementa propellunt venæ, quodq; reliquum factum est sanguinis, postquam saturæ ipsæ fuerint, veluti onus quoddam extrudunt, & quum noxios aliquos humores intro foras'ue agunt. Nam & in ijs qui multis antea vsi exercitationibus vitam statim ducunt sedentariam, atq; vmbratilem, quiq; mutili mẽbro aliquo visuntur, statis quibusdam temporibus decumbit in intestina san-

guinis vis non exigua, & in morbis aliquibus
corpus ſeſe interdum totum humorum quorū-
dam profuſione exonerat, quod & in choleræ
affectu præſtet, nimirū vbiq; per eaſdē ſemper
venas expulſo ſanguine humoribusq́;, per quas
antea facta in vniuerſum corpus diſtributio fue-
rat, hoc tantum diſcrimine, ꝙ in diſtributione
vis attractrix rectis fibris munus peragit ſuum,
ac in excernēdis humoribus, ſanguine'ue expul
trix ipſa tranſuerſis vſa fibris noxa ſeſe liberat.
Cuius ſanè facultatis vis ſpectatur, ac violentia
quędam in ileis potiſſimum, in quibus vomitu
ſterc⁹ eijcitur, per tot delatum tenuioris primū
ĩteſtini inuolucra, ac ieiuni, pylorumq́; ipſum,
ventriculum, gulam, antequam ore prodeat, ſo-
la interim extruſum expultricis facultatis vehe-
mentia. Quam porrò nullis præter tranſuerſas
ad hoc peragēdum vſam fuiſſe fibris, dicere poſ-
ſis, ſiquidem hoc tantum fibrarum genere præ-
dita viſantur inteſtina: quo ſanè fit vti mirum
videri alicui nequaquam debeat, ſi quando de
extima quoq; corporis ſuperficie ĩ ventriculū,
atq; inteſtina extrudatur aliquid, vitali impul-
ſu. Galeno enim teſte libro de facultatibus na-
turalibus tertio: ἐλάχισαι ῥοπαὶ κινήσεων τὴν ἐκ-
κριτικὴν ταύτην οἰακίζουσι δύναμιν, ὥς ἂν διὰ τῶν
ἐγκαρσίων μὲν ἰνῶν γινομένην, ὠκύτατα δὲ διαδομέ-
νην ἀπὸ τῆς κινησάσης ἀρχῆς ἐπὶ τὰ κατ᾽ ἀντικρὺ
πέρατα. i. Exigui quidam motionis impetus fa-
cultatem huiuſcemodi excretoriā regunt, quip
pè quæ fibris quidē peragatur tranſuerſis, ocyſ-

ſime autem à motus principio ī extremas, è regione ſibi oppoſitas partes ꝑcurrat. Quo loco οἰακίζουσι lego pro οἰκιάζουσι. Vides igitur vbiq; locorum Galenum excrementorum, aut humorum alioqui noxiorum propulſionis cauſam in vim ſemper rettuliſſe expultricem tantum, tranſuerſarumq; fibrarum actionem: Rectarum autem (quod quidem meminerim) nunquam, & aliquando quidem, quum proprij ſibi aliquid pars corporis aliqua trahit rectis vſa fibris, iuuari trāſuerſarum etiam opera poſſit: nō autem è diuerſo fit, vt quum aliquid alicunde expellitur ī corpore, ſuppetias operi huic ferat rectarum fibrarum genus, quippe ꝙ tranſuerſarum tantum munere perficiatur. Etenim vētriculi ipſius attractrix facultas, quum deglutiendum aliquid ad ſe rectis in primis fibris rapit, vna & tranſuerſarum ope nititur, vtraq; ventriculi, vt dicebat Galenꝰ, membrana cooperāte, & interiore quidem rectis fibris attrahente, exteriore autem compreſſu quodam vna propellente: at quum vomitu aliquid proijcit, altera tantum nempe exterior membrana opus exercet ſuum, quum nihil eo tempore ſit, quod ad os trahat. Non enim quemadmodum inter deglutiendum fit, vt antequam deuorentur cibi, appetendi vis illa in ventriculo præcedat, ſic in vomitu quoq; accidit, vt aliqua oris pars vomitionem, aut rem quæ vomitione eijcitur, appetat. Quod ſi fieret, rectarū quoq; fortaſſe fibrarum opus id eſſe exiſtimaretur, nunc quum ni-

hil appetat, ne attrahit quidem hoc certe caſu,
quo attractionis ratio rei tātum proprietate fit.
δῆλος οὖν ἐστὶν, ait Galen⁹ tertio de facultatib. na
turalibus libro, ἐκ τῶν εἰρημένων ὁ μὲν ἔνδον χιτὼν
τῆς γαστρὸς, ὁ τὰς εὐθείας ἔχων ἶνας τῆς ἐκ τοῦ στόμα
τος εἰς αὐτὴν ὁλκῆς ἕνεκα γεγονὼς, καὶ διὰ τοῦτ᾽ ἐν
ταῖς καταπόσεσι μόναις ἐνεργῶν. ὁ δ᾽ ἔξωθεν ὁ τὰς
ἐγκαρσίας ἶνας ἔχων, ἕνεκα μὲν τοῦ περιστέλλεσθαι
τοῖς ἐνυπάρχουσι, καὶ προωθεῖν αὐτὰ τοιοῦτος ἀπο=
τελεσθεὶς, ἐνεργῶν δ᾽ οὐδὲν ἧττον ἐν τοῖς ἐμέτοις, ἢ
ταῖς καταπόσεσιν. i. Manifeſtū igitur eſt ex iam
dictis interiorem ventriculi tunicā, quæ rectas
ſortita ſit fibras, vt ex ore ad ſe attrahēt factam:
qua ſane gratia inter deglutiendum tantūmo=
do operetur. At exteriorem, quæ fibris trāſuer=
ſis prædita ſit, ad hunc modum fabricatam, vt
contenta comprimeret, ipſaq́ propelleret, quæ
tamen nihilo ſecius vomendo q̄ deglutiendo
opus peragat ſuum. Quod ſi igitur quum vis
excretoria viget, expellendisq́ ea noxis, quæ=
cunq́ tandem eæ ſint, incumbit, nullus vnquā
(quod quidem colligere ex hoc loco liceat) re=
ctarum fibrarum vſus eſt, quomodo tandem re
cte dicemus rectis tranſuerſisq́ fibris verſus im
pactum ſibi vulnus ſanguinem protrudere ve=
nas, quum id muneris tranſuerſis tantum (ſicu=
ti docuimus) debeatur? Nec ſane mirum, quū
enim duplex ſit attrahendi modus ratioq́, Ga=
leno teſte eodem libro, alter qui eius quod eua
cuatur ſequela, alter qui rei quam attrahit, pro=
prietate atq́ affinitate quadam nitatur: eius au=

tem quod euacuatur ſequela aliter prorſus, quã fi
brarum genere vllo perficiatur, ſed nec ipſam
hi hac quidem in parte admittant: reliquus erit
attractioni locus, quæ rei fit affinitate ac ꝓprie-
tate, quam in diſſecta vena nullam omnino eſ-
ſe deprehendas. Quid enim tandem quæſo pro
prij attrahere inciſa vena, aut appetere poſſit:
proximæ'ue inciſæ venæ partes? Ergo quũ at-
tractio, quæ vacui fit ratione, aut ſi qua alia re-
peritur præter eam, quæ rei proprietate peragi-
tur, nequaquam fibrarum ſequatur rectitudi-
nem, atq; alia prorſus ratione conſtet, ſola autẽ
quæ proprium ſibi germanumq; aliquid attra-
hit, rectis ꝑficiatur fibris: in venæ porro ſectio-
ne nulla ſit, hoc quidem pacto trahendi cauſa,
relinquitur nullo, qui quidem mente conſtet,
reclamante, fibrarum tunc temporis rectitudi-
nem prorſus feriari neceſſe eẽ, ſolaſq; opus ſuũ
exercere, quæ tranſuerſæ ſint. Vt enim in vẽtri
culo, ſicuti paulo ante oſtenſum eſt, quum is in-
ter deglutiendum proprium ſibi cibum rectis
vſus fibris attrahit, fit vt fibras illi etiam addere
poſſit adiutrices expultrix vis tranſuerſas ſuas,
quod & facit, eo ꝙ & attrahendi hoc loco cau-
ſa adſit, rei nimirum quam ventriculus ꝓcupiat
affinitas: nec quicquam ſane repugnet, quo mi
nus propultrix quoq; vis illa fibrarum ſuarum
compreſſu operi ad plenius ipſum perficiendũ
famuletur: ſic minime certe contingere poteſt,
vt quum nulla præeat attrahendi neceſſitas cau
ſa'ue, rectæ vllo modo quicquã fibræ efficiant.

Quo sane fit, vt quum vomitu aliquid proijcit is, torpeant illę prorsusq; iaceant, ideoq; larynx in deglutiēdo loco mouetur, sursum acta rectarum fibrarum contractione, in vomitione non mouetur. Ad eundem sane modum quum in venæ incisione propellendi tantum adsit necessitas, attrahendi autem hac ratione nulla, conuincitur certe minime spectandam hoc casu fibrarum rectitudinem esse. Sed dicent statim rectitudini se consensum semper addidisse, sic enī fere scribunt rectitudinem atq; cōsensum. Verumenimuero expositum clarius oportuit, qualem tandem cōsensum intelligant: nam si rectitudinis fibrarū consensum dicunt, satis opinor confutatum hoc est: sin consensum intelligunt σύμπνοιαν Hippocratis illam, corporisq; totius conspirationem quādam, eam nos quoq; agnoscimus, sed viderint penes quidem hāc quid referat hoc an illo loco incidatur vena. Quacūq; enim in parte dissecet, nihil sane rettulerit propter vniuersum corpore toto consensum, quo id quacunq; tandem in parte, ac qualitercunq; afficiatur, correspondere sibi consueuit. Tertiū autem præter hęc, quid animo sibi proponant, non est facile coniectura assequi, nisi si forte veritatis ipsius, vel inuitos interdum ducentis impulsu, conspirationem consensumq; eum intelligunt, quo dextræ inter se partes sinistræ ue societate quadam, ac veluti affinitate coniunguntur. Sed hoc nolent scio, hoc enim pacto in sententiam tandem nostrā ire manibus pedibusq;

cogerentur.

cogerentur. Hac eadem verborum ambiguitate iniecta neſcias vtrum impelli in venæ ſectione ſanguinem dicant, an trahi potius. Nā quatenus ad ſanguinis eductionem venas plurimū facere aiunt, ſic hūc ſane attrahi credas: at quatenus addunt id verſus impactum vulnus fieri, expulſionem certe notes quandam. Nam Galeni quidem autoritas, quum ipſi ex libro therapeutices decimo tertio in hūc locum citant, nihil aliud q̃ excretoriæ facultatis meminit: cauſam enim quoſdā aſſignare generationis phlegmones nullam ait, quoſdam autem nullo modo probabilem, ſibi autem aliam videri conſentaneam magis. Docuimus, inquit, in eo opere, quod de natutalibus facultatibus ædidimus, vnam eſſe naturę facultatem, quam excretoriam dicimus, ea ſuo munere tūc fungitur, quum triſte aliquid ſentit: vnum vero quiddam eſt ex iijs quæ eam contriſtant, ipſa quæ dolorem excitat cauſa, quæcunq; ea ſit. Hanc igitur eijcere dum properat, phlegmonen interdum in particula concitat. Quum enim primis ſuis conatibus nihil proficit, vehemētius aggreſſa quod infeſtat, ſanguinis aliquid & ſpiritus ex ſuperpoſitis partibus, in afflictam ſimul exprimit. Hoc loco nullum penitus vides prolatum verbum, quod quidem ad attractricem faciat facultatē, idemq; prorſus alibi etiam Galenum ſenſiſſe deprehendas, vt in expoſitione aphoriſmi illius, ὁκόσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα. i. quæcunq; fœtus corrupturæ ſunt, qui ad hunc modum ſcri-

bat: κοινὸς γάρ τίς ἐστιν οὗτος ὁ λόγος, ἐφ' ὧν ἡ φύ=
σις ἐκκρίνει τι μετὰ βίας ὡς τὴν ῥοπὴν ἐκεῖσε γίνε=
σθαι τοῦ τε αἵματος, καὶ τοῦ πνεύματος, οἷς ὥσπερ
τισὶν ὀργάνοις χρωμένη, διωθεῖται τὰ λυποῦντα
βίᾳ. κατὰ τοῦτο γοῦν καὶ τοῖς ὀδυνωμένοις μορίοις,
ἐπιγίνονται φλεγμοναί, τῆς φύσεως μὲν ἐκκρίναι τε
καὶ διώσασθαι σπευδούσης τὸ τὴν ὀδύνην ἐργαζόμε=
νον. ἵνα δὲ τοῦτο πράξῃ πληρούσης αἵματός τε, καὶ
πνεύματος αὐτό. i. Siquidem communis hęc est
ratio in ijs, in quib9 natura vi aliquid excernit,
ita vt impetu illuc ferantur sanguis ac spiritus,
quibus illa quasi quibusdam instrumentis vsa
vi noxam repellit. Ad eundem plane modum
partib9 etiam dolorosis phlegmone accidit, dū
natura excernere quidem ac expellere properat
quod dolorem facit, vt autem id pręstet sangui=
ne ac spiritu idipsum replet. Atq; hoc ipsi ta=
men autoris testimonium sic in rem suam ver=
tunt, vt inde fluxus rationem mutuentur in ve=
næ sectione, quod quidem recte ab illis factum
existimari posset, siquidem in sola perstitissent
excretoria facultate, qua Galeno tota fluxionis
ratio constat, sed sic fortasse videbant opinionē
suam minime autoritate hac iuuari. Qui nanq;
dissecta vena sanguinis fluorem secūdum fibra=
rum fieri rectitudinem enititur probare, is pla=
ne attractricem in primis facultatem adducere
in medium debet, cuius opus rectis perficitur
fibris, locaq; autorum allegare quæ hoc ipsum
demonstrent. Nunc autem quorsum attinuit
Galenum hic citasse, qui fluxus rationē expul=

tricis tantum facultatis vi peragi dicat, ex quo nequaquam elici probatio ea poſſit, quam ipſi quærunt, nempe in ſanguinis miſſione fibrarū ſpectandam in primis rectitudinem eſſe. Notetur enim argumenti vis, quod perinde eſt, ac ſi in hunc modum quis ratiocinetur: Eadem eſt in phlegmones generatione, & venæ diſſectione, ſanguinis fluxus cauſa: at in phlegmones generatione ſola eſt vis expulſoria, quæ fluxum creet, ergo & in venæ inciſione vna, & vis operabitur excretoria per ſuas fibras, ad ſanguinis expulſionem, & attractrix per ſuas eundem ad partis ſubſidium attrahet. Quæ quonam tandē modo recte colligatur ratiocinatio, eorum eſto iudicium quib⁹ cordi eſt dialectice. Atqui ipſi poſt adſcripta Galeni ex decimo tertio therapeutices verba ſic ſtatim de ſuo addunt. Quinetiam, inquiunt, niſi dictam nunc functionem excretoriam per ſuas fibras in ſanguinis miſſione ipſum educere, illumq́ȝ ad partis ſubſidium attrahi in confeſſo habeamus, rationem qua ex inferiorib⁹ ad ſuperiora, & à dextris in ſiniſtra in venæ ſectione ſanguis confluit, imaginari perquam arduum, & omnino impoſſibile erit. Additam hoc loco attractrici facultati excretoriam vides, præter Galeni ſententiam, reiq́ȝ ipſius (niſi prorſus hallucinor) veritatem. Nō eſt enim arduum profecto non, cauſam inueniſſe fluxionis inciſa vena, ſi quis facultatis excretoriæ vires nouerit, quæ de extrema interdū corporis ſuperficie, Galeno etiam atteſtāte, humo-

res intro prorsus impellat, sicuti è diuerso, è pe nitissimis plerunque partibus foras hosce agat, idque vel minimum nacta, vt idem dicebat, motus initium impetumque. Quod sanè opus transuersarum tãtum fibrarum compressu quodam absoluit, rectis interim prorsus feriãtibus, quippè quarum functio attractrici tantummodo facultati propria sit, quæ tũc demum munere suo fungitur, quum attrahit: attrahit porrò quum proprij aliquid germanique sibi concupiscit. Cuiusmodi quum ĩ sanguinis missione reperiatur nihil, non mehercle, quod attractricem facultatem inuitam ad muneris huiusce functionem attraham⁹, nec vult enim ipsa hoc, nec potest. Quod si quis acriter contendat, obstinateque in sanguinis missione alia etiam quàm attrahendi hac facultate, quæ rei affinitate absoluitur, educi ratione sanguinem posse, huic vt omnia demus, nũquã tamen is vicerit, fibrarum id fieri rectitudine, quod illis propositum vnum erat: propterea quod præter attrahendi facultatem hãc, quæ propriũ sibi adsciscit, & cui rectæ demãdatæ fibræ sunt, & si qua est alia, vt quæ vacui necessitate cõstat, aut si quam comminisci tandem aliam libet, eæ aliter prorsus quàm rectis fibris opus peragant: quãdo dolor quoque ipse, aut si quid tale est quod incidendis venis accidat, nulla alia ratione vt humores eo confluant, efficiat. Quam à Galeno expressa loco retro iam citato, nempe decimo tertio therapeutices, sic quidẽ vt hoc pacto non tam attrahere dolorem aliaque id gen⁹, quàm in cau-

ſa eſſe vt humores eo ferantur, recte affirmare poſſimus, expultricis nimirum facultatis vellicatu quodam. Quamobrem ne ſic quidem aliquid collegerint, quod ad rem ſuã faciat, quinimmo quum duplex illud eẽ dicat attractionis genus Galenus tertio de facultatib. naturalibus libro, quod & ante rettulimus, atq; alterũ quod euacuatæ rei ſequela fit, etiam procul diſſita attrahere natum ſit, vt ſi quis per longiſſimum ſyphonem aquam aut tale quippiam attrahat: alterũ autem, quod qualitatis proprietate trahit, vicina tantum quæq; rapiat, qua ſane gratia diſtributos per vniuerſum corpus plurimos venarum ramolos eſſe affirmet, tanquã riuulos quoſdam, quo facilius ita pars ſibi vnaquæq; propriũ alimentum adduceret: illud certe conſequitur diuiſam venã, ſiquidem hoc pacto trahat, proximum ſolummodo ſibi ſanguinem attracturã. Atqui conſtat, eſtq; apud omnes in confeſſo receptumq;, etiam de remotiſſimis partibus illuc ſanguinem tendere, vti iam hoc quoq; nomine fibrarum reijci poſſit rectitudo, quæ proximis ſolum attrahendis pollet, ſemperq; attractrici facultati fibris ſuis ſuppetias fert, quæ propriũ trahat, ideoq; vicinum. Neq; hoc nunc dico attrahendi facultatem, quæ rei proprietatẽ ſequitur omnem operi ſuo abſoluẽdo rectas ſemper adhibere fibras, quum & magnes ferrum, aliaq; aliter alia q̃ fibrarum vi trahant. Illud dico fibras rectas haſce nulli alij, q̃ attractoriæ facultati dicatas eſſe, q̃ quũ feriatur, feriari eas quoq;

necesse sit, sicuti in venæ diuisione vbi nulla necessitas, causa nulla, quæ harum munus requirat. Quod autem prioribus medicis venæ dicũt prohibitam dissectionem per duos diametros, ideo ꝙ fibrarum ita rectitudo consensusq; perdatur, videant ne nobis hoc modo imperẽt potius vt credamus, q̃ persuadeant. Debent autẽ, vt ille dicebat, non solum cogere sed etiam persuadere. Cur enim non & nos statim è contrario dicamus eo nomine prohibitam, quod sic consensus perderetur sinistrarum inter se partium, dextrarumq; eodem modo? sed sic diuina re licebit, nisi & argumẽtis fulciatur, quod dicitur & rationibꝰ probetur. Reliquas porrò opiniones quas hoc loco afferunt nonnullorũ, aduersus quos nos quoq; ab illis stamus, missas factas volumus. Satis enim nũc sit demonstrasse illud κατ᾽ ἰθὺ siue κατ᾽ ἴξιν, non significare fibrarum rectitudinem, ꝙ & rationi repugnare videatur, & Galeni non dicam autoritati ac testimonio, quod ipsi interdum respuunt, sed loco quem ipsi confirmandæ melius opinioni suę citabant ex lib. therapeutices decimo tertio. Quę quum ita sint, totaq; argumẽtorum eorum vis ex hac vna pendeat verborum κατ᾽ ἴξιν interpretatione ac significatu, qualem illi volunt, disiecto iam hoc sanè vna quoq; cætera corruant omnia necesse est. Verum quoniam hoc tantũ non vbiq; verborum clamãt, Hippocratis esse placitum, videamꝰ sanè an ita senserit is: simul enim & Galenum monstrabimus hac quidem

în parte ab Hippocratis ſui placitis ne latū quidē, quod aiunt, vnguem diſceſſiſſe, & ex locorū collatione hac, ac mutuo quodam illarū inter ſe quaſi attritu, aliquid fortaſſe rebus ſuboſcuris lucis accedet, veritatiſq; forte excudet ſcintilla, quæ quum exilierit, materiæq; arripuerit fomitem, quo ſeſe diffundat, nonnulla illuſtratura ſic loca, aut illud ſaltem factura, vt præeunte face aliqua, apertiore veritatem indagine inueſtigare liceat. Primus igitur qui ſe nobis oſtēdit Hippocratis locus, ī libello eſt de fracturis, vbi ſic ait: ὑγιέες δὲ γίνεται ἐν εἴκοσιν ἡμέρῃσιν τελέως ἅπαντα, πλὴν ὁκόσα κοινωνέει τοῖσι τῆς κνήμης ὀστέοισι, καὶ αὐτέῃ τῇ ἴξει. i. Atq; integræ ſanitati reſtituuntur omnia diebus viginti, exceptis quæcunq; tibię oſſibus communicant, ipſiq; rectitudini. Et paulo poſt: τὸ γὰρ ὀστέον τοῦτο οὐ σμικρόν ἐστιν, καὶ ὑπερέχει μὲν ὑπὸ τὴν ἰθυωρίην τῆς κνήμης. i. Os enim huiuſmodi non ſanè exiguū eſt, ac tibiæ rectitudinem excedit. Quum de calcis oſſe loqueretur ſcilicet, quod omniū pedis oſſium maximum quum ſit, rectum illum tibiæ proceſſum exit, vt in oſſium anatome videre licet. Vtrobiq; hic prius ἴξιν, deinde ἰθυωρίην pro recta quadam lineæ in directum porrectione accepiſſe videtur. Alio tamen ſignificatu ἴξιν dixit primo de ratione victus in morbis acutis his verbis: μετὰ γὰρ τῆς ἄλλης ἀρετῆς τῆς πτισσάνης τὸ ὀλισθηρὸν τὴν κριθὴν κατάπινομένην ποιέει μὴ βλάπτειν. οὐδαμῇ γὰρ προσίσχεται, οὐδὲ μένει κατὰ τὴν τοῦ θώρακος ἴξιν. i. Præter enim alios

ptiſſanæ vſus lubricitas deuorato hordeo noxã adimit: nuſquam enim hęret, nec moratur ſecũ dũ thoracis delationem. Delationis impetũ ἴξιν hoc loco nominauit, Galeno quoq; ipſo teſte, præter id quod aliter recte quidem exponi non poteſt verbum ἴξις hoc loco. Sed nos hæc eo tantum rettulimus, vt quid vocabulum hoc ſignificaret exponeremus, rectum ſcilicet proceſſum quendam, ac ſecundum rectitudinem porrectionem, & lationis præterea motũ. Sed poſterior vocis huius ſignificatio perrara cõtingit, ſic enim dicebat Galenus, ἴσμεν ὅτι τὴν ἴξιν, ὡς τὸ πολὺ μὲν τὴν εὐθυωρίαν, ἐνίοτε δὲ καὶ αὐτὴν λέγει τὴν φοράν. i. Scimus vocem hanc ἴξιν apud eum plurimum quidem rectitudinem ſignificare, interdũ autem & lationẽ ipſam. Sane nos quoq; hanc omittemus tanquam nihil ad rem facientem, de qua nunc agimus: prior autẽ illa aperte niſi fallor, indicarit quid κατ' ἴξιν ſit ſecũdum Hippocratem. Erit enim id tale, quod ſecundum rectum proceſſum, ſiue rectitudinem, ſiue directionem, ſiue è directo ſitum eſt, vt pedis oſſa quæ tibiam attingunt, è directo tibiæ ſunt: calcis autem ꝙ retro protenſum recurrat, exacte ſi loquamur, è directo tibiæ non fuerit, vt ſunt quæ illam contingunt oſſa, quum tamẽ partis interim totius è directo habendum ſit. Sed hoc nunc non diſquirimus, illud ſaltem teneamus, poſitum quendam hac voce ſignificari. Sed & in libello de medici officio in hũc modum ſcribit: πρὸς ἑωυτὸν δὲ καθημένῳ μὲν πόδες

εἰς τὴν ἄνω ἶξιν κατ᾽ ἰθὺ γούνασι. i. Penes seipsum autem sedenti pedes sint ad superiorem rectitudinem e directo genuũ. Et in commento Galenus: ὀνομάζει δὲ συνήθως ἶξιν ἀεὶ τὴν ἰθύτητος θέσιν. i. Nominat autem vsitate ἶξιν semper positũ secũdum rectitudinẽ. Ex libro autem de articulis, quid κατ᾽ ἶξιν sit deprehẽdas facile his verbis: ἢν δὲ ἀμφότεραι γνάθοι ἐξαρθρήσωσιν, ἡ μὲν ἴησις ἡ αὐτή, συμβάλλειν δὲ τι ἧσσον οὗτοι τὸ στόμα δύνανται. καὶ γὰρ προπετέστεραι αἱ γένυες τούτοισι, ἀστραβέες δέ. τὸ δ᾽ ἀστραβὲς μάλιστ᾽ ἂν γνοίης τοῖσιν ὁρίοισιν τῶν ὀδόντων τῶν τε ἄνω, καὶ τῶν κάτω κατ᾽ ἶξιν. hoc est, Quod si vtraq; maxilla luxata reperiatur, eadem quidem erit curatio, min⁹ autem hi committere os poterunt. Etenim longius his maxillæ procurrunt, minime tamen distortæ. Hanc porro incontortionem maxime deprehendas ex dentium superiorum, inferiorumq; terminis secundum rectitudinẽ. Rectitudinem hoc loco vocauit, quum dentium inuicem ordines respondent, sic vt inferiores molares, verbi gratia, superioribus e regione positi sint itidem molaribus, & canini caninis, eodemq; modo reliqui: sic quidem nihil vt aliud hac voce significetur q̃ directus partium inter se positus. Neq; hic solum κατ᾽ ἶξιν hoc significatu vsurpauit Hippocrates, sed & alibi interdũ, & eodem præterea libro, commentariorum autem Galeni quarto, sic scribens: προσέχειν δὲ τῇ ἰητρείῃ τοῖσι δὲ χρὴ ἀπωθέειν μὲν, καὶ κατορθοῦν τῆς κνήμης τὸ κατὰ τὸ σφυρὸν ὀστέον τὸ ἔξωθεν εἰς

τὸ εἴσω μέρος, ἀντωθέειν δὲ εἰς τὸ ἔξω μέρος τὸ τῆς πτέρνης τὸ κατ' αὐτὴν τὴν ἴξιν. i. Est igitur animus adhibendus curationi in hunc modum, cruris os exterius secundum malleolum in partem repellere interiorem oportet, ac dirigere: Contra vero calcis os quod secundum rectitudinem ipsam est, exteriorem in partem impellendū. hoc est quod e directo tibię fibulæq; repositum est. Quo loco quū antea legeretur ἀντωθέειν δὲ εἰς τὸ ἔξω μέρος τὸ τῆς περόνης, pro hoc πτέρνης restituimus ex Galeno, quū si aliter legatur, mire confusus verborum horum sensus sit, nec sibi constans, sitq; fere nomenclatura hæc posteriori Hippocratis ætati vsitatior. Ex his sane locis omnibus, & si qui præterea me hoc tempore fugiunt, crediderim nullum aliū colligi posse verborum κατ' ἴξιν significatum, q̄ simpliciter directi processus cuiusdam situsq;, quum scilicet absolute ita κάτ' ἴξιν scribit. Quo sane modo calcis, verbi gratia, ossis pars, quæ e directo tibiæ ac fibulæ subest, esse κάτ' ἴξιν illis dicetur: at quę retro paulo longius procurrit, si cum anteriore hac conferatur parte, rectitudinem excesserit si cum alijs pedis partibus κάτ' ἴξιν fuerit. Quæ ipsæ κατ' ἴξιν quoq; tamen sunt, vt & lateris eiusdem manus, propterea q̄ dextræ partes omnes vna quasi linea contineantur, si cum sinistris cōferantur: sicuti etiā sinistræ si cum dextris, neq; tamen septum nobis vllum propterea fingere necesse habebimus, quod illi obijciebant. Non enim corporis illum vniuersi īter se σύμπνοιαν

deſtruim⁹, ſed ſocietatem præterea partium inter ſe quandam, ac veluti affinitatē reperiri poſſe affirmamus. Ad hunc modum quum præcipitur ſecandam eſſe venam ſecundum rectitudinem, pronuntiatione hac abſoluta ac ſimplici, quis eſt qui non videat poſitum tantum quendam partis intelligi, non autem fibrarum rectitudinem? Eſt enim abſurdum, (quantum quidem ego videre poſſum) rem de qua pronuntiatum in vniuerſum ſit, in peculiare aliquid contrahere, niſi aliqua ſit ita opinandi in autorum verbis vel ſuſpitio. In ante enī tranſcriptis Hippocratis locis, πρὸς ἑωυτὸν, ait, καθημένῳ μὲν πόδες εἰς τὴν ἄνω ἴξιν, κατ᾽ ἰθὺ γούνασι, ad ſuperiorē rectitudinem dixit diſtinctionis cauſa, eius quę ad inferiora eſt. Eodemq́ꝫ modo κάτ᾽ ἰθὺ γούνασι, i. è genuum directo priuatim nimirum directum illum proceſſum ſignificans, qui à pedib⁹ ad genua ſpectatur. Idem profecto facturus ſi quando per κατ᾽ ἴξιν fibrarum rectitudinem intelligi voluiſſet. Neqꝫ enim, tametſi veterū more breuiloquus admodum Hippocrates ſit, vſqꝫ adeo tamen verborum parcus reperitur, vt verbis κάτ᾽ ἴξιν ſiue κάτ᾽ ἰθὺ additurus non fuerit ἰνῶν, hoc pacto κάτ᾽ ἴξιν τῶν ἰνῶν. Sic igitur fit vt nuſquam hoc Hippocratis eſſe dogma reperiatur. Sed eſt ne alius vocis huiuſce apud eū vſus? eſt planè, qualem indicauit ipſe in libro de fracturis his verbis: βάλλεσθαι μὲν οὖν χρὴ τὸ ὀθόνιον κατ᾽ ἰθὺ τὴν τὴν ἴξιν τοῦ ἕλκεος. i. applicare autē faſciam oportet ſecundum ipſam vulneris recti

tudinem, quum de vulnere loqueretur, quod ossium fracturam sequitur. Sic ἴξιν hoc loco appellauit situm illum per transuersum porrectũ, significato minus quidem ꝗ̃ superius, interdũ tamen vsitato, eodem ferè modo, quo ante relata statim verba sic scripserat: καὶ ὑπερεχέτω τὸ ὀθόνιον ἔνθεν καὶ ἔνθεν. i. Exuperetq́ fascia hĩc atq; hinc. Quo loco Hippocratis pręceptum est, vti fascia supra infraq́ vulnus excurrat, partem scilicet vulnere superiorẽ inferioremq́ occupans. Quemadmodum igitur hic pro supra & infra, hinc atq; hinc vsurpauit, sic deinceps statim κατ' ἴξιν dixit positum transuersalem illum, sicuti Galenus testatur in verborum horũ expositione, sic inquiens: ἴξιν ἀεὶ τὴν εὐθυωρίαν ὀνομάζει, ποτὲ μὲν τὴν κατὰ τὸ μῆκος τοῦ σώματος, ἐσί δ' ὅτε τὴν κατὰ τὸ πλάτος. i. ἴξιν semper rectitudinem appellat aliquando quidem penes corporis longitudinem, sed & quãdoq; penes latitudinem.

Vides vocabuli hoc loco vsum aliũ, quo cõtrouersiæ diluantur non paucæ, sed nec paruæ: hoc enim pacto affirmes licet crus, verbi gratia, dextrum κατ' ἴξιν siue κατ' εὐθὺ. i. secundum rectitudinem esse sinistri ac pedem pedi, malleolumq́ malleolo, & manibus manus, deq; aliis. ad eundem modum partibus pronuntiare licebit: quin & anterior capitis pars posteriori κατ' εὐθὺ eodem exemplo fuerit. Videntur enim mihi hoc significatu verba hæc κατ' εὐθὺ quasi κατ' ἀντικρὺ notare. Patientibus itaq; extremis co rporis parribus, manibus scilicet ac pedibus,

atq; extremorum altero affecto, incisa in compare extremo vena secūdum rectitudinem fuerit affectæ partis, fuerit & quæ in fronte vena dissecta in capitis dolore posterioris, idq; opinabitur Hippocrates, opinabitur etiam Galenus, nulla interim fibrarum rectitudine animo versata, sed solo atq; vno partium situ cōsyderato. Est enim apud omnes in cōfesso, qui paulo modo versati in libris medicorum sint, plegmones collectitium semper humorem euacuādū esse, cui sane rei peragendæ, quum alij quoq; adhibeantur modi quidam, adhibetur & sanguinis missio, qui vnde tandem mittendus sit, id vero docemur indicatione ex positu sumpta, Galeno etiam alicubi teste. Qui porro positus si de fibrarum rectitudine in venis intelligatur, vt hi volunt, consequitur certe indicationem ex positu sumptam nusquā alias valituram, q̄ in venæ tantum incisione, aut, si placet, arteriæ, aut sicubi fibrarū spectari rectitudo potest. Atqui quum vomitum, verbi gratia, curamus ijs quæ aluum cient, aut alui è contrario fluorem vomitu leuamus, nulla id alia, quantum quidem ego videre videor, ratione facim9, q̄ hac ipsa ducta ex situ indicatione. Eo enim q sedes vētriculo, vt ventriculus, sedi positus è directo est, humorum ita facilius molimur reuulsionem, quo tamen casu nulla prorsus iuuari fibrarum rectitudine possumus, quum intestina transuersis tantum cōstent fibris. Ergo quum indicationis ex positu sumptæ eadem sit in corporis partibus

omnibus ratio, etiã ijs quæ fibris præditæ sunt nullis, nec notari diuersitas possit vlla quamob rem fiat, vt dissecta è directo vena iuuetur affe- ctus: eodemq́; modo citę aluo subueniat vomi tus, ꝙ idem vtrobiq́; remedij genus eadē iuuet, situs nimirum solius ratione, quorsum attinuit fibrarum huc adduxisse pręterea rectitudinem? Sed ad rem redeundum, quum dicebamus κατ' ἴξιν siue κατ' εὐθὺ malis, Hippocrati ac Galeno rectum quoq; interdum quasi tramitem signifi- cari, qui in latitudinem protendatur corporis: ad quem plane modum præcipiat Galenus, pa tientibus extremis cõparis extremi, siue cõiuga ti secandã venã, siue diuertendū siue deriuandū sit: & decimo tertio therapeutices, ijs q̃ in occi- pitio sunt affectis, partim cubiti, partim etiã frõ tis diuidendam esse venam, ac paulo post perpe tuo in omnibus eas quæ κατ' ἴξιν, i. secūdum re- ctitudinem sunt, aperte hoc loco ostendens an- teriorem capitis partem posteriori tam è dire- cto haberi, q̃; cubitū. Proinde nihil obstiterit, quod illi adferunt de triangulo corporis totius longissimo. Nos enim situ inspecto rectitudi- nem hãc etiam in latum metimur, freti Hippo- cratis ac Galeni autoritate: sic enim à pede, ver bi gratia, dextro ductam ad pedem alterum li- neam, non illam quidem exactam secūdum re- ctitudinē esse dicemus, id quod de man⁹ quoq; affectu dictum accipi volumus: quapropter nõ cogemur, quod illi tamen dicebant, secandę ve næ rationem hanc negligere, sicuti sane nec oc

cipitio affecto frontis venam respuere, ideo quod ibi quoque penes partis vtriusque sitũ directus veluti trames quidam spectetur. Quod autem de filorũ ex inconsuta illa veste euulsione tradunt, quãquam subobscurum sit, sic tamen accipiant, argumento eo videri mihi nihil aliud probari, quam futurum vt idem in fibrarum rectarum euulsione contingat, siquidem extrahere earum filamenta liceret. Sanguinis enim impetus ille, dũ is mittitur, actus non sequitur fibrarum rectitudinem, sicuti docuimus, quippe quæ tunc temporis ferientur, sed transuersis potius illis agit. Nam si eo tantum valere argumenti vim cõtendunt, quod per rectas fibras quantumuis otiosas, quibus venæ constant, agatur sanguis, vereor vt seruare hoc ꝑpetuũ possint. Viderint enim quæso, quomodo per intestina omnia transuersis tantum fibris prædita, sæpius ex toto corpore deferatur sanguis in ijs, qui aut membro destituuntur aliquo, aut sedentariam alioqui vitã degunt. Sic fit vt argumenti vis huiusce dum fibrarum rectitudinem insistere pergit, in trãsuersas deturbetur. De manuum autem extensione quod aiunt, axillarisque venę ortu ante magnam in glandio diuaricationem, nos & naturalẽ manuum positum consyderamus, quem ex libris de motu musculorum colligere est, & rarenter contingentem venarum originem illam reijcimus, ꝑsuasi de ijs quæ magna ex parte eueniũt, vniuersales semper constitui propositiones solere; tametsi vt omnia concedantur, adhuc ta-

men originis ſocietas ea quomodo amittatur nõ video. Porro` ꝙ vena ἄζυγος. i. paris expers, paulo ſupra dextram cordis auriculã perpetuo exoriatur, idq́ dextræ ſpinæ regioni innixa, facile eis hoc quoq́ permittimus, teſtibus nimirũ occulatis, verum enimuero ꝙ hanc ob rem & fibrarũ præterea rectitudinem atq́ cõſenſum, ſiniſtra thoracis parte phlegmone correpta aperienda ſemper ſit dexterioris cubiti vena, id vero pernegamus. Ac fibrarum quidem rectitudinem illam iam ſatis, opinor, reiecimus, quod ſatis eſſe deberet confutando argumento, quod hac in primis rectitudine erectũ perſtabat, quũ interea ne altero quidem id tibicine ſatis fultũ ſit. Laboret enim aiunt phlegmone venæ paris expertis origo, hoc plane` caſu omnium cõſenſu dextri cubiti vena aperietur: ergo ſiniſtra quoq́ thoracis parte affecta, dextro ſemper latere incidatur vena neceſſe eſt, hac nimirũ ratione ꝙ neceſſum ſit, nec fieri aliter poſſit, qn collectus in ſiniſtra parte humor retroceſſu, venæ illius originem permeet, qua affecta dextri ſemper brachij diuidebam⁹ venam, quaſi vero idẽ ſit partem aliquam phlegmone corripi, ac ſanguinis per eam tranſcurſum fieri: aut non diuerſum penitus exiſtimari debeat, quũ ſiniſtra thoracis pars, atq́ quũ venæ coniugis carentis origo phlegmone laborarit, qua ſane` affecta venã non immerito incidimus eiuſdem lateris, non iam ob fibrarum rectitudinem, ſed ob partium conſenſum venarumq́ inter ſe ſocietatẽ quan-

dam ac

dam ac communicantiam. Sinistra autem thoracis parte male habēte aliud omnino est quod sequamur, in primisq; consyderetur necesse sit, nempe partis affectæ ac secandæ venæ affinitas inter se, ac societas quædam præter iustam vicinitatem. Quę quum exacte omnia reperiantur in sinistri, eo casu, cubiti vena, quid est causæ quamobrem in eius locum dextri brachij venā accersamus? Et hercule affectus in primis locus perpendendus semper, quod nullus nō fateat, eiusq; habēda vel potissima rō, quippe ex quo auellendus deducēdusq; sanguis sit, huiusq; ipsius reuocādi locoq; tādē dimouendi sumendū initium, non autem partium, quātum quidem rationem hanc spectat, per quas velut iter facturus est tantum. Quid enim quæso eæ aliud præstiterint, q̃ vicinitatem? vt hoc casu venæ eius origo quid elargiri tandem aliud potest, q̃ loci propinquitatem? Quātulam autem? videlicet pollicis dimidiati. Sed nō laborabimus in hoc diutius, ideo ꝙ vicinitatem vnam hāc minime spectandam esse demonstrarint illi ipsi argutissime simul ac doctissime. Nā ꝙ situm in dextra potius spinæ parte sortita sit, sitq; illi hoc nomine maior eum dextri cubiti vena societas, id vero ad affectum illius, si quando laborare eā contingat, facilius dimouendum tantummodo fecerit, id quod vel ipsi fatentur, & nos facile concedimus, modo hoc vno cōtenti sint, nec rationem hanc rei accommodare studeant longe diuersæ. Atq; hoc ego pacto decretū illud rescin-

di posse crediderim, ac veluti ψήφισμα quoddã tolli, qđ illi in vniuersum sciuerant, dextri semper brachij aperiendũ esse venã in costali morbo. Nam in reliquis facile nobis cum illis conuenit, ꝙ & perraro superiorum trium costarum interuallum phlegmone corripiatur, & si quando corripiatur, tamen latere semper eodem secanda sit vena. Reliquæ sunt Hippocratis autoritates in libris de ratione victus in morbis acutis: quarum illi primam, quantum opinioni suę faueat, conantur ostendere. Alteram porrò clarissime, ac vlla absq; verborum ambage prolatam, quæq; nullam prorsus legenti dubitandi ansam relinquat, nullo negotio tollunt, vna nimirum autoritatis huiusce reiectione, cuiꝰ ipsi scriptorem pro eo ac visum sibi commodũ fuerit, nunc admittunt, nunc de iudicum albo eximunt. Ac primum quidem in secundo de ratione victus in morbis acutis, sic absoluto sermone interiorem cubiti venam secandam esse præcepisse Hippocratem aiunt, vti quum hodieq; basilicam cæphalicam'ue secari iubemus, nulla dextræ mentione, quam taciti tamen intelligamus, idq; grauissimos etiam medicinæ autores factitasse græcos, arabasq;. Quæ sane nos quoque vera esse fatemur, in affectibus ijs, in quibꝰ vsu iam receptum sit, quam demum aperire venam oporteat, sicuti in affectu febrili, quo casu dextram ferè incidimus, exceptis quartana laborantibus: aut si quis alius præterea morbus reperitur, in quo vsitatam sit hanc illam'ue sem

per venam secasse. Quod sane argumẽtationis genus nobis quoque in primis fauerit: sic enim Hippocratem dicemus licet lateris eo loco omisisse mẽtionem, propterea quod vsitatissimũ esset, tunc temporis latus perpetuo parte eadem secãdum assumere: idque nos iustius fortasse affirmabimus, quam qui dextram subintellectam venam asseuerant: quo verisimilius est, vnumquenque etiam legitimæ medicinæ idiotam si in ægrotũ inciderit huiusmodi, ꝓsusque quo latere in morbis id genus aperiri consueuerit vena ignoret, eodem semper brachio diuisurum esse venam, loci admonitum propinquitate consyderatione quadam crassiuscula, quum inter initia plerunque loco quoque ipsi affecto temere emplastra admoueãt, aut tale quippiam. Atque hoc ego facturos eos dico, quibus nunquam antea contigerit, vt sanguinẽ in huiusmodi affectibus mitterent, primore tantum loci affecti consyderatione adductos. Nam tonsores, quib⁹ hodie ferè incidendæ venæ munus committitur, ab vsitata sibi antea sectione non recesserint, ideoque superuacaneum est, quum quis febre, verbi gratia, correptus laborat, præcipere his dextro vt brachio basilicam secẽt: statim enim audiès ab eorum aliquo paulo plus sciolo, iam antea hoc sciebam. Ad eundem planè modum existimari Hippocrates quoque potest ipse, quum vsitatissimum hoc esse, ac iam receptum animaduerteret, vti eiusdem semper brachij in affectibus his vena diuideretur, nihil rei hui⁹ meminisse. Nõ

dissimili plane exẽplo annis superioribus, quũ nondum prorsus inuecta ĩ medicorum scholas noua hæc dissecandæ venæ ratio esset, quotus quisq; erat tonsorum, qui nõ vsitatam sibi semper venæ sectionem sequeret oppositi lateris? etiam nullo mandãte medicorũ interdũ. Quin quum noua hæc suboriretur ĩ hac regione mittendi ex eodẽ latere sanguinis via, quo fere tardius peruenit, atq; in dies tamen vires ea magis magisq; incremento sumeret, iamq; nonnulli nostrum reperirentur qui intrepide sanguinem ita mittendum esse iuberent, ipse non semel memini barbitonsores quosdam audacter imperitantibus id nobis reclamare, nec se vnquam cõmissuros esse, dicere, vt a re toties iam sibi vsu recepta ac cõprobata recederent; vsq; adeo pertinax est res consuetudo, præsertim si cum peruicacia inoleuerit, atq; ignorantia. Sed cõiecturæ eæ q; scilicet Hippocrates hanc illam'ue ob causam silentio lateris differentiam prȩterierit, sint sane futiles ac friuolæ habeãtur, diuinationi q; potius assimilentur, quæ sine testibus peragi consueuit ac tabulis. Nos porro coniecturas hasce habemus quo firmemus, præsidio nempe Hippocratis eiusdem autoritate, vt nos credimus, legitima ac genuina, vt illi volunt, spuria: sed siue Hippocrates is fuerit, siue alius quispiã, constat probatissimas eum librorum superiorũ sententias secutũ, in hac quidẽ libri parte, quæ de costali morbo & peripneumonico tractat, vt clare hinc conijcere liceat, nec penes lateris

discrimē variatum ab eo. Sic enim eo loco scri-
bitur: ἢν μὲν ὀδύνη ἄνω περαίνη πρὸς κληΐδα, ἢ πε-
ρὶ μαζὸν καὶ βραχίονα, τέμνειν χρὴ τὴν ἐν τῷ βρα-
χίονι φλέβα τὴν εἴσω, ἐπ' ὁκότερον ἂν ᾖ τῶν μερῶν
κατὰ τόδε. i. Siquidem dolor superius ad iugulū
pertingat, aut circa mamillam, & brachium sit,
interiorem brachij venam secare oportet, vtra-
libet in parte fuerit, secundū eam partē. Hęc
sane verba Galenus dum explicaret, legitimū
illum qui de his pertractat libri secūdi locum,
ἐργάζεσθαι ait, quasi opere quodam perficeret
additis ijs, quæ tamen subintelligi ibi quoq; ex
dictis poterant. Tametsi enim mire nunquam
non fere breuiloquus reperiatur Hippocrates,
haud grauate tamen bis idem interdum, aut ter
etiam, si ita opus sit, repetit, quoties permagni
refert, si quid ab eo traditam negligentius obau-
diatur. Sic enim de autore hoc testatur Galen9
in expositione aphorismi illius: Lac dare caput
dolētib9 &c. ἢ οὐχ' ἁπλῶς, οὐδὲ ἀεὶ βραχυλογίαν
ἀσκεῖν ἔοικεν ὁ Ἱπποκράτης, ἀλλ' ἐν οἷς μέγα τι τὸ
κινδυνευόμενον τὸ ἀμελῶς ἀκουσθέντι, λέγειν ἐπὶ
τούτων οὐκ ὀκνεῖ ταῦτα ἐνίοτε δὶς, ἢ καὶ τρὶς. Itaq;
q tam nulla ratione atq; animi potius, vt ita di-
cam, causa, talium autorum tantorumq; pergūt
reijcere testimonia, ipsi tādem viderint, nos cū
Galeno malumus non dicam errare, sicuti ille
de Platone dicebat, sed cum eo satius esse duci-
mus Hippocratis hoc loco autoritatē agnosce-
re, q̄ innumeris se, nisi ita fecerimus, tricis la-
queisq; induere. Satisfactum igitur rationibus

opinor, ſatiſfactum argumentis. Nam in cæteris aut idem vtriq; ſentimus, aut ſi qua omiſſa ſunt, non perinde magni ea momenti ſunt. Reſtat ſcrupulus etiamnum vnus tamen, quem tametſi induxerunt ipſi extra rem, non ſit tamen abs re attigiſſe, ob Galeni quoq; hoc loco defenſionem, quem inconſtantiæ primum, deinde erroris etiam manifeſti, atq; ignorantiæ, oſcitantiæq; inſimulant, qui tam perfunctorie Hippocratis dicta percurrerit, tamq; ea negligenter explicanda in manus ſumpſerit, vti eius ille ſenſa minime perceperit, nec illius ſententiam aut quid ſibi verba vellent, collegerit. Ac prius Galenum aiũt, quum Hippocratis verborum ſententiam explicaret, quorum initium: ἀλλ' εἰ μὲν συμβαίνει ὀδύνη εἰς κληῖδα. diuerſa de diſtributione venæ, quæ ἄζυγος dicitur, ortuq; tradidiſſe, vt Hippocratis dicta tueret᷑: quaſi vero Hippocratis Galenus dicta pro oraculis habuerit, ac non intrepide ab illius interdum placitis recedat, quum res exigit, ſcilicet is fuiſſe vnquam reperietur, qui quo Hippocratem culpæ eximeret, ipſe ſe maioris culpæ reum conſtitueret, vt quæ pro compertis haberet, diſſimularet, atq; ea quæ ſciret, neſciret, ſicuti hoc in loco quo facilius rationem iniret, quamobrem Hippocrates in doloris ad ſuperiora protenſione venam incidi, in deſcenſu autem pharmacum exhiberi iuſſerit. De venarũ diuiſione ortuq;, contra alibi à ſe tradita pronuntiaſſe exiſtimatur ab his, ſiquidem eorum ego ſententiam recte colligo,

quo quid dici aut excogitari Galeno dignũ minus poteſt: & profecto quid attinebat Galenũ Hippocratis cauſa tantũ in ſe inconſtantiæ crimen deriuare, à cuius ipſe paulo poſt ſententia deſciſcere non vereretur, ſic enim ait in altero mox ab hoc commento: γινώσκειν μὲν οὖν αὐτὰ χρὴ, καὶ μεμνῆσθαι, χρῆσθαι δ᾽ οὐ διὰ παντὸς. i. ſcire igitur iſta conuenit ac meminiſſe, vti autem his perpetuo non expedit. Itaq; rẽ ipſum, vti ſeſe illi habere viſa fuit, explicuiſſe crediderim, indeq; aliquid omnino rationis ad Hippocratis dicta accommodaſſe, quũ interim illam potiſſimam duceret, quum in ipſo ſtatim expoſitionis limine adduxit, verborum Hippocratis rationem, in hunc modum: κατὰ τὴν ῥοπὴν τῶν ἐργαζομένων χυμῶν τὴν φλεγμονὴν ποιεῖται τὰς κινήσεις. τὸ γὰρ, ἄκτε ἂν ῥέπει διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων, ἀληθέστατον. i. Secũdum humorum phlegmonen efficientium impetum euacuationem molitur. Quod enim præcipitur, ducẽdos eſſe quo incumbunt humores per loca cõuenientia, veriſſimum eſt. Quæ plane ratio vel ſola tueri Hippocratem potuiſſet, ne quęſitum à Galeno aliam anxie etiam cum inconſtantię ſuſpitione putemus, ac non potius pro eo ac illi videbatur explicatam. Totum hac tamen de inconſtantia verborũq; repugnantia ea ſuper venę ortu alias fortaſſe videbimus, loco in tranſcurſu, quæ de cauæ venæ diſtributione hic traduntur à Galeno, antequam cor pertingat, non poſſe de vena ſine pari dicta accipi: ideoq; fruſtra ĩ diſſidium

vocari diuersis de reb9 prodita, sed hęc viderint eruditi, qbus ĩ aperto sunt Galeni loci hi quos est legere. Deinde in secundo verborum contextu qui ita ĩcipit: ἢν δὲ ὑπὸ τὰς φρένας ᾖ τὸ ἄλγημα. i. ꝙ si dolor sub septo transuerso sit, non inferiorem thoracis partem significatam esse dicunt, sicuti Galenus credit, sed eam quæ à septi transuersi orbiculo infra ad ilium os vsq; pertinet, qua parte præter alia ventriculus continetur & iecur, obliti præcepti illius medici in primis, nulliq; medicorum non probatissimi, quo priuatim noĩatimq; monemur, ne partes phlegmone correptas purgante medicamento euacuare tentemus inter initia. Sic enim libro de ratione victus in morbis acutis quarto scribit: ὁκόσοι δὲ τὰ φλεγμαίνοντα ἐν ἀρχῇ τῶν νούσων εὐθέως ἐπιχειροῦσι λύειν, φαρμακείῃ τοῦ μὲν ξυντεταμένου καὶ φλεγμαίνοντος οὐδὲν ἀφαίρουσιν. οὐ γὰρ διαδιδοῖ ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος. τὰ δ' ἀντέχοντα τῷ νοσήματι, καὶ ὑγιηνὰ συντήκουσι. i. Cæterum quicũq; partes phlegmone correptas inter morbi initia medicamento statim soluere aggrediuntur, ex contenta phlegmoneq; arrepta parte nihil demunt: neq; enim morbus crudior quum sit remittit quicquam: sanas autem quęq; morbis resistunt colliquefaciũt. Ergo idẽ nobis quoq; eueniat necesse est, persuasis secundo de ratione victus ĩ morbis acutis libro, verba ea accipi debere, de locis ijs dicta esse, vbi & ventriculus & iecur aliaq; præterea sunt. Nam quum Hippocrates eo loci, & de dolore ꝑtractet, qui fere

phlegmonen sequit̃, & de remedijs initio adhi-
bendis, nihil ſane obſtiterit quo minus ventri-
culi phlegmone laborantibus, aut iecinoris me-
dicamentum quamprimum deuorandum exhi-
beamus, cõtra verborum paulo ante deſcripto-
rum ſententiam, contraq́ veritatem ipſam, niſi
ſi hunc quoq́ locum fide ſua priuabũt, quaſiq́
exautorabunt. Quod ſi fecerint, num illud tan-
dem Hippocratis eſſe negare audebunt, πέπονα
φαρμακεύειν, καὶ κινέειν μὴ ὠμὰ, quæq́ iſta ſequun-
tur? Quib9 aperte velut interdicto quodã veta-
mur medicamẽto cruda educere ac mouere, ſed
quæ cõcocta potius fuerint, niſi turgeant. Por-
ro autem q̃ minime in his materia turgeat, ne-
minem eſſe credo qui ignoret. Quanto itaq́ ſa-
tius fuerit verba ea de inferiore thoracis parte
dicta accipere, qua phlegmone correpta tutius
exhiberi medicamentum poſſit purgans, ideo
q loca hæc medicamentum non petant, vſq́ a-
deo quidem vt ventriculum ac iecur, ſed ex in-
ferioribus thoracis partibus auellat potius exhi-
bitum, alioq́ deriuet, æq́ ac quum oculis phle-
gmone tentari cœptis vna die, ſola purgatione
nonnullos Galenus ſanatos fuiſſe teſtatur deci-
mo tertio therapeutices libro. Id quod ſi quis
iecore iam tum primum phlegmone correpto
aggrediatur, maximam hunc ait excitaturum
phlegmonen, ſicuti ſi quis vrinam cientia medi-
camenta exhibeat inter primos renũ veſicæ'ue
phlegmones ortus, aut vtero ita affecto menſes
prouocet. ἀντισπᾷν γὰρ χρὴ, ait, τῶν ἀρχομένων

ῥευματίζεσθαι πορρωτάτω τὸ περιττὸν, οὐχ ἕλκειν ἐπ' αὐτά. κατὰ τοῦτον οὖν τὸν λόγον, οὐδὲ γαστρὸς, οὐδὲ ἐντέρων ἀρξαμένων φλεγμαίνειν, ὑπηλάτῳ χρῆσθαι προσήκει. 1. Etenim longiſſime à locis, ī quę decumbere iam fluxio incœpit, reuellendū eſt quod ſuperfluum influit, non autem ad ipſa trahendum: ſanè eadem ratione in ventriculo inteſtinis'ue, poſtquā phlegmone laborare incœperint, minime expediet medicamento vti purgante. Hanc planè ob rem crediderim Hippocratem quocꝫ ipſum, coſtis inferioribus adfectis medicamenti exhibitionem commēdaſſe, tametſi alia poſtmodum nomine damnatū hoc à Galeno ſit poſteriorumcꝫ medicorum ſchola. Nec mihi tam dubio procul probatur, quod ipſi affirmant, fieri nequaquam poſſe quin quacunqꝫ tandem in ſede tunicæ coſtas ſubcingentis conſtiterit inflammatio, dolor ob cōſenſum ad iugulum vſqꝫ protendatur: veriſimile enim potius ſit partem, vt quæcꝫ vicina fuerit, dolorē eam tēſiuum percepturam magis, ideocꝫ coſtis affectis inferioribus ſpurijſcꝫ, doloris ſenſum eum hypochondria potius correpturum, nimirum ob ſepti tranſuerſi viciniam. Quod quum ſuperiorem membranā à tunica coſtas ſuccingente enatam obtineat, in cōſenſum ſtatim trahatꝫ neceſſe eſt, ſecumcꝫ ipſum vicinas vna partes trahat. Dolor autem is quomodo ſeſe ad iugulum vſqꝫ protendat neceſſario, ob loci diſtantiam non video. Quod enim pro argumento afferūt de iecore phlegmone laborāte, dolorisqꝫ

eo casu ad iugulum vsq; protensione, videãt ne non idem, ac longe aliud hoc sit: facilius enim concesserim iecur phlegmone affectum etiã minore, q̃ partem thoracis inferiorem dolorificæ tensionis sensum ad iugulum vsq; trãsmissurũ, nempe ob ponderis grauitatem, qua in primis gratia male affectum superiores partes quasi appensum degrauat: id quod euidentius quoq; apparebit, si, vt persæpe solet, adnexum costis spurijs reperiatur. At in membrana costas succingente, cuius interim nõ solius phlegmone pleuritis esse censetur, sed etiam musculorum, sola spectatur extensio, quam certe non perinde facile sit paulo remotiores partes secũ vna in consensum traxisse. Quod autem Hippocrates dixit, si sub septo transuerso dolor sit, sic accipiẽdũ est, nõ quasi summa ibi doloris ac veluti caput sit, sed q; doloris eo vsq; sensus protensione quadam excurrat: ad quem fere modũ dolere nõ inepte iugulum dicitur in partium, quæ sub eo positæ iacent, intercostalium phlegmone. Nec refert hoc verborũ intellectu ὑπο τὰς φρένας dixerit Hippocrates, an μετὰ τὰς φρένας: alioqui illud quoq; nõ nemo affirmare, & quidem recte fortasse possit septi transuersi hoc loco ab Hippocrate principium potius notatum, quæ parte vltimæ pectoris chartilagini, quæ in mucronatum fastigium desinit primo adnectitur, à qua si transuersa per corpus linea ducatur, inferiores costæ non absurdę sub septo iacere trãsuerso existimabuntur. Cętera porro hac in par

te, vtpote ꝙ ad rem non faciant, omittimus. Nam nec singula persequi in animo habuimꝰ, quum hæc scribere aggrederemur, & satis esse existimamus opinionis huiusce recēs natæ quasi operis cuiusdam fundamēta, ac parietes ipsos labefactasse aliqua ex parte, quo pacto vix subsistere cōtignationes queant incrustationesq́ꝫ ipsæ. Detur autem mihi ab operis huius autoribꝰ atq́ꝫ architectis venia, quorū ego, ita me dij musæq́ꝫ bene ament, diligentia instauratam anatomen tanta atq́ꝫ exædificatam propè venerabundus suspicio, (sic enim merētur ob nauatā egregie in re medica operam) eorumq́ꝫ ego, & eruditionem amplector, & doctrinam ī alijs probo, in ijs non probo, in quibus Galenum tam plerunq́ꝫ percupide, ignorantiæ reum peragere student. Nesciuerit enim ille magnam anatomes partem, vt aiunt, demus, hoc sanè illis, quod tamen cuiusmodi sit videndum, fugerint ne eum adeo multa hmōi. Hanc sibi interim gloriam vendicent alij, inq́ꝫ ea magnifice se non immerito circunspiciant; falsus sit etiam ille interdum more hominum opinione sua. Etiam ne sententias illius tot iam eruditissimorum autorum suffragijs comprobatas antiquabimus? hominūq́ꝫ doctissimorū eleuabimus testimonia argumentis, rationibusq́ꝫ non solum non demonstrantibus quod volunt, sed nec quæ probari multis possint? Parcius igitur aduersum Galenum velitandum, parcius profecto parcius autorem, ne quid maius de eo dicam, tam non solum de re

medica, verumetiam de disciplinarum genere omni præclare meritum: accedendumq́ ad librorum eius lectionem religiose, secumq́ deputandum, animoq́ diligenter voluendum, fieri nō vsq́ adeo facile potuisse, vt ex tam acri ingenio, exactoq́ rerum indicio temere aliquid prodeat, quod non diu ante discussum diligenterq́ examinatum, ac pensiculate consyderatum sit. Quod si neuus tamē occurrere aliquis interdū, aut maculæ alioqui inustio, aut cicatrix apparere videatur, cogitandum secum prius, num oculi potius caligent, eaq́ hallucinatione contingat, vt corpus numeris alioquin absolutum omnib⁹, figura nobis destitutum sua neruisq́ ac colore defectum appareat. Ad quem sane modum quis est, qui non videat rem plerunq́ etiā insignite pulchram cæcutientibus videri turpē posse? præsertim quum sic oculi hallucinantur vti non solum prospectum longius non ferant lucemq́ fugiant, sed etiam colorū distinguere varietatē non queant, vt qui regio laborāt morbo radiorū porrectione fellis vitio īfectorum, aurata se omnia aspicere arbitrantur. Quid igitur hosce in dijudicandis discernendisq́ rebus, ac coloribus suis tantum inspiciendis credimus facturos? præsertim si nōnulli eorum totas aliquando, vt aiunt, cucurbitas aut etiam ollas ipsas lippiant? Nonne rerum pulchritudini lippitudinis lemarumq́ tātarum offusione inspecturos turpitudinem, inq́ candidis nigrorem notaturos vel exactissimis, vt cādorem in nigris? Ve

rum de his non tam quæramur, q̃ eorum nos sane` misereat. Est alterum genus hominũ per- rarum quidem, sed est tamen oculis comprimis perspicacib⁹ lynceisq́, quod quum rem etiam penitissime vt habet ĩtrospiciat dissimulet, qua- siq́ aliud vidẽs mira sibi fingat, ac comminisca- tur, commentaq́ hæc verborum, quantum po- test, lenocinio orationisq́ phaleratæ prætextu, ac lemniscatæ obscuret, artisq́ suæ impostura tenebras nobis ob oculos offundat, quo minus rectam insistere viam possimus, & obscuriore cœlo pergẽtes offendamus vbiq́, deq́ recto tra- mite agamur transuersi. Hos ego infelici natos genio existimo, atq́ aui præpostera. Hoc ego hominum genus tandem odi vafrum, astutum, callidum, peruicax, contentiosum, ceruice præ- dura: quod tu non solum a` proposito ratione ac persuasionibus non dimoueas, sed etiam ob- stinatius reddas. Hi sunt qui quum mordicus semel aliquid arripuerint, perpetuo id ad extre- mum vsq́ seruent, neq́ vnquam remittant, etiã dentium contentione rinctuq́, si quis cõtra stet territantes. Aduersus hos egregie pugnatũ au- diui superioribus annis ab eminentissimis hoc tempore anatomes professoribus, quum hi sæ- pe contra veterum licet opinionem rem tamen oculis ipsis videndam proponerent: illi e` diuer so superiorum ætatum præiudicio niterentur, variaq́ ad se tuẽdos cõminiscerentur, atq́ eadẽ futilia, scientesq́ interim ac videntes rem pror- sus aliter se habere, propositum constantissime

premerent,ac firmiſſime tenerent,de quo nulla deijci arte aut vi poſſent. Quid igitur hoc hominum genere facias? errorum ſeſe nexu obligantium,quo aliorum errata defendāt,nullam planè aliam ob rem, (nam quid præterea aliud in cauſa ſit, non video,) quàm ne erronee aliquando ſenſiſſe videantur, ſupra hominem certe ſeſe in hoc efferentes,quum hi ipſi ſæpe quos defendēdos ſuſcipiunt, autores minime id velint. Nec Galenus quidem ipſe ſi viueret,pro piaculo habiturus ſit, ſi quis paulo quàm ipſe attentius re perſpecta diuerſa tradat, aut quæ eum fugerint,ab alijs in rem inuehantur medicam, artiſque huius concinnentur partes, ac ſtructura coagmentet, ſi qua dehiſcit,æque ac vitio verti cuiquā non debet, ſi quis Phidiæ, aut præſtantiſſimi cuiuſque opus vel imperfectum, qua poteſt abſoluat,vel vetuſtate aliqua ex parte collapſum de integro reformet, breuiterque parte omni expoliendum inſtaurādumque ſuſcipiat. Tertium eſt genus eorum qui nec diſſimulant, nec hallucinantur in re clara, ac tenebras ſæpius vincunt oculorum claritate, hactenus tamen tantum non vident, quod vnico interdum tranſcurſu intuituque quodā procurrente rem videndam pertranſeunt, exactius illam mediuſfidius inſpecturi, ac penitius cognituri, ſi exquiſitam oculorum aciem qua vigent,rei paulo diutius affigerent,inque eam diligentius intenderent lumina. Scimus autem, ſiquidem vera tradant, οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες, quicunque tam ſunt oculis perſpicacibus videndique

facultatem tam exactam obtinent, nihil vt eos fugiat, ne minimum quidem visibilium, his plerunque symptomata suboriri solere suffusorum similia, si quando vapores exhalatione oculos petant è ventriculo, præsertim si is cruditate etiamnum laboret. Quod nulla alia de causa fit, quàm ob spiritum humoresque chrystallinũ illum, aqueumque defæcatissimos, quippe qui facile minimum quidque noxæ persentiscant, sicuti alias quoque videmus oculos, vt quisque eorum exquisitius rerum varietatem discernit, facilius fumo alterius'ue id genus rei occursu, nec sane minus rerum persæpe nitore perstringi. Hosce nos minime certe malos admonitos tãtum cupere debemus, rem si quam aspiciendam assumunt, cõniuentibus eã oculis ne pertranseant, aspectũque intendant diuturniorem, quo & facilius timentur omnia, & pensiculatius expendant. Neuos si quos aut maculas alioqui primore occursu intuebuntur, secum statim cogitent num hæc videre se tantum existiment, non etiam videãt, lectionisque id cruditate potius fiat, ex qua veluti transglutione tum primum deuorata exhalationes resiliant, quæ rerum ob oculos species offundunt imaginarias: itaque tãtisper expectẽt, dum omnia cõcoquant, examinatione ac veluti ruminatione versatiore, sanguinisque inde alimentũ depurgatissimi cõfectissimique sentiat ratiocinatrix vis, quo quasi enutrita rerum inspectura sit faciem splendescentem in primis, nitoreque prorsus suo ac genuino. Cũ hoc ita faciant

velimus,

velimus, tum illud in primis, vulnera si qua aut librariorum excitarit incuria, aut pepererit vetustas, quę quidẽ minore negotio sanare se posse confidant, exiccatione tãtum curent linctuq́ꝫ potius quodam, q̃ꝫ specilli acutioris abrasu. Si quod autem ĩflictum corpori altius sit vulnus, disquirant num vt in desperatis, ne latius tantũ serpet, prouidendum, an curationem potius admittat. Hãc porro optarim semper leuem adhibeant, ac minime, nisi quum opus sit, dolorificam, neqꝫ se pro vnguibus in his gerant, nõ humorũ acrium vitiosorumq́ꝫ irritatione, ac vellicatu vulnus maius efficiant, præsertim si id in parte corporis acceptum sit aliqua non ignobili. Hoc si diligenter fecerint, vulnera illis obductum iri scio, compluribus in locis cicatrice aut nulla, aut certe minima, corpusq́ꝫ appariturum Galenicum, emaculatũ totum, pulcherrimũq́ꝫ, ac florenti vndiq́ꝫ veluti iuuenta quadam repubescẽs. Hacq́ꝫ illud specie, hac tam hilari exporrectaq́ꝫ facie, ad sui amorem facile inuitaturum tyrones, q sæpenumero antea rei perterriti deformitate, fœdisq́ꝫ illis cicatricibus ab honestissimæ matronæ pudicissimæq́ꝫ amore, ad meretricium se contulerunt, hoc est, à græcorum medicorum schola castissima illa ac purissima, ad arabum defecerũt ac latinorũ quorundam doctrinam (sit vero verborũ hoc loco veritati venia) impuram, impudicam, scabram, præposteram, barbaram, fucum legenti facientem, malę fidei, vacillantem, garrulam, intricatam, sibi incon-

ſtantem, contentioſam, quę ſi vel aſinus canem
momorderit, litẽ moueat, vt in prouerbio eſt.
Breuiter ingeniorum bonorũ ſcopulum, apud
quem diutius hærerent adoleſcentes qui ſe his
addixerant, ac tandem conſeneſcerent, tãta ſtu-
diorum operæq́ꝫ, & olei prope amiſſione, labo
rumq́ꝫ iactura, quos ipſi plerunq́ꝫ labore ipſo la
borioſiores pertuliſſent, viæ tam ſenticoſæ in-
greſſu, erronumq́ꝫ maximorum ductu, quibus
ducibus, quo tandem ſpes erat progreſſuros re-
rum harum candidatos? poſtquã iter ſemel in-
greſſi eſſent tortuoſum, ſcrupuloſumq́ꝫ, ac tranſ
uerſi plerunq́ꝫ diuerticulis incertum, exitu nul-
lo? Non hos ad minima quęq́ꝫ offendere neceſ
ſe erat? ac ſubinde reſtitantes hæſcitare quo ſe
verterent, aut quam tandem viam inſiſterent?
Notum eſt illud Gręcorũ, ὁ καλῶς ἄγων ἐμποιεῖ
τὸ καλῶς ἕπεσθαι. Itaq́ꝫ nihil mirum ſi ducibus
his aberrare vna quoq́ꝫ comites contingebat, ſi
plerunq́ꝫ anteuertere hi illorum officium coge
rentur, ſeſeq́ꝫ eis pro anteambulonibus addere,
ſternendæ viæ, extirpandisq́ꝫ vepribus, ac non-
nunquam ducibus ipſis tranſuerſum actis, in re
ctam tandem ſemitã reducendis. Quas nos hac
tempeſtate rerum difficultates euicimꝰ omnes,
dijs hominibusq́ꝫ plaudẽtibus, virorumq́ꝫ quo-
rundam præſtantiſſimorum, ac nunquam ſatis
laudatorum auſpicio, quorum opera patrum fe
re noſtrorum memoria demi cœptꝰ medicinæ
ſitꝰ, ac ſquallor, ſuusq́ꝫ illi addi nitor, vſq́ꝫ adeo
quidem vt illius nunc faciem priſtino ſplendo-

ri suo restitutam adamare prorsus libeat, ĩ dies tamen magis, magisq́ amatorum sui, quos illa quottidie admirabili quadam rerum pulchritu dine ad sese allicit innumeros, diligentia expoliendam. Tantum illud optandum, vt si qui ea sunt ingenij dexteritate, ac vigilantia, vti se facile hoc præstare posse confidant, id facere pgãt, totoq́ in id pectore incũbant, maximam inde apud omnes reportaturi gloriã, studiosorumq́ omnium gratiam inituri, ac promerituri fauorem. Sin quum id facere possent, nolunt, quiescant saltem, maculas autem faciei tam præclaræ ne inurant non necessarias, vulneraq́ corpori ne infligant noua, quo tempore vetera prius sanata oportuit. Vlcus porro si quod attingũt, aut persanent, aut remediorum monstrent viã, quod satis aliquando sit: nam maius id efficere, ac prorsus cacoethes reddere, id vero medicorum sit male certe feriatorum, operaq́ abutẽtium sua: tum vero quibus medicorum munere omni, atq; honore, ac iure apertissime interdicatur. A quibus hi quum longissime absint, decet sane eos studium in hoc omne, & diligentiam conferre, ingeniumq́ ac doctrinam quib[9] in primis pollent, exædificandæ iam medicinæ vniuersæ adhibere, cuius antea quum partem, ac veluti fundamenta diligentissime instaurata resarcierint, si idem in reliquis facere perrexerint, quod illos omnium maxime præstare posse confidimus, iam his rem medicam sartam tectam debebimus omnes, nec sane multum (di,

cam enim audacter) superes it, in quo antiquitati (quantum quidem ad rem hanc attinet) inuideamus.

Quid γραῦς, ἔτνος, ἀθάρα, λέκυθος, medicis sit, solutaque super lotij notis quibusdam contradictio, aliter ac solutum hacten⁹ ab alijs fuerit,

Enantioma XXVI.

PRæter vsitatum vocabuli γραῦς, apud græcos significatum, quo prouecta iam ætate mulier notatur, vt quum vetulam dicimus, rem etiam illam quæ refrigeratis iusculis accreuit, ita appellant. Quod fit, quoties feruida etiamnum iura reponimus, quibus fere præsertim, quum pinguitudo subest, concretum visitur insidere quiddam itidem pingue, postquam temporis morula aliqua deferbuere. Non dissimili plane modo, quum lactis quoque concreta coaluit superficies, in quam pinguior lactis totius pars abierit. Quem sane vocabuli vsum facetissimus omnium poeta Aristophanes expressit versibus his lepidissimis, quos libuit adscribere ex comœdiæ calce, quæ πλοῦτος inscribitur:

καὶ μὴν πολὺ τῶν ἄλλων χυτρῶν τ' ἀναντία
αὗται ποιοῦσι. ταῖς μὲν ἄλλαις γὰρ χύτραις
ἡ γραῦς ἐπέσ' ἀνωτάτω, ταύτης δὲ νῦν
τῆς γραὸς ἐπιπολῆς ἐνεισὶν αἱ χύτραι. i.
Atqui aliter euenire multo istis vides
Ollis, aliarum nanque supremum occupat
Anus locum: contra huius ollæ, nunc anus

Summo insidere verticis fastigio.
Quo in loco interpres γραῦς γὰρ ĩquit καλεῖται ὁ ἀφρὸς ὁ ἀνωτάτω, ἢ τὸ πηγνύμενον ἐλαιῶδες τῷ ζωμῷ, ἢ ἐπιφάνεια τῆς ἀθάρης .i. γραῦς enim siue anus supremo loco insidēs spuma vocatur, aut quod in iusculis cõcreuit oleosum, aut pulticulæ sup̃ficies, sic enim ἀθάραν interpretor. ἀθάρα porro quid sit, ex eodem discas licet, in eadē comœdia ἀθάρα inquit, μόνη ἡ σεμιδαλίς. Est autem σεμίδαλις. i. similago, ex qua similagine⁹ panis inter omnia genera purissimus, præter eũ qui ex siligine constabat, siligniten vocant. Alibi tamen interpres idem ἀθάραν ἔτνος esse dixit his verbis in equitibus: ἔτνος δὲ, ἣν ἀθάραν, ἀθάραν ἔλεγον, καὶ τὸ πίσσινον ἕψημα: sic vt ἔτνος autori huic ἀθάρα sit, pisiq; decoctum. Et in commentarij comœdiæ, cui titulus ἀχαρνεῖς: ἔτνος δὲ ἔλεγον τὴν ἀθάραν, καὶ τὸ πίσσινον ἀφέψημα, ὡς καὶ ἐν βατράχοις, ἤδη πότ᾽ ἐπεθύμησας ἔτνους. hoc est, ἔτνος autem pultem dicebant, & ex piso decoctum, sicuti & in ranis:

Num quando pultem concupiuisti statim?
Sic enĩ integer ibi est senarius ad hunc modũ,

ἤδη πότ᾽ ἐπεθύμησας ἐξαίφνης ἔτνους:

Quo etiam in loco interpres ait: τὸ δ᾽ ἔτνος εἶδος ἀθάρας, atharæ speciē faciens ἔτνος. et deinceps: οἱ δὲ ἀνδρεῖοι, καὶ πρὸς τὰς μάχας θαυμαστοὶ ἔτνος ἐσθίουσιν, ὡς συντελοῦν αὐτοῖς πλεῖστα, ὡς οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ λέγουσιν. i. Fortes autem validiq;, & conficiendis pugnis nobiles, pulte vtuntur, q̃ hac maxime iuuentur, quemadmodum hi cen-

sent, qui res has pertractant. Idem aliquot post chartas, quum dictionem ἔτνος exponeret, ait: ὃ νῦν φάβα οἱ ἰδιῶται, καὶ οἱ ἀγροικοι, τὸ διαλελυμένον ὑπὸ τῆς ἑψήσεως, καὶ τῆς τορύνης. hoc ē, Quod nunc idiotæ rusticiꝗ; faba vocant, elixatu, id est & toryne dissolutum. Est autem toryne ollę pes, ollę appellauit pedem opinor, quo hodieꝗ; elixam prius fabam crebra circunductione assiduaꝗ; ita versamus, quoad ad pulmenti cuiusdā speciem redigatur. Id est autem hastile oblongum, teres, cylindratum'ue. Hoc modo parata puls fabacea, vulgo fabeta, siue franca faba, qua si fracta vocatur, ꝙ scilicet scissa prius ea & deglubita, pinsitaꝗ; elixetur, vnde circumactu, vti diximus, longo pulmentum existat, quod ἔτνος appellant. Nam discissam, deglubitamꝗ; tantū ἐρίγμην opinor vocant, sic enim ait interpres: καὶ τὴν ἐρίγμην δὲ ἐντεῦθεν ὁμολογοῦσι τινὲς. i. vnde natum quidam vocabulum ἐρίγμην fatētur, quum scissorum pri⁹ leguminum meminisset. Hic tamen autor duntaxat hoc in loco ex faba tantummodo pultem agnouisse videtur, quum ait: ἐπειδὴ οὐδὲν ἄλλο τῶν ὀσπρίων χίζομεν, ἀλλ' ἢ τοὺς κυάμους ὅταν ἔτνος ποιῆσαι θέλωμεν. i. Quū fabam tantum nec aliud legumen aliquod scindamus, quoties parare pultem volumus. Athenæus autem libro dipnosophistarum nono, autoritate vsus Phaniæ cuiusdā Etesij, qui de plātis scripsit, sic ait: πᾶσα γὰρ χεδροπώδης ἢ μέρος φύσις εὐσπέρματος. ἡ μὲν ἑψήσεως ἕνεκα σπείρεται, οἷον ὁ κύαμος, πίσος. ἐτνηρὸν γὰρ ἐκ τούτων ἕ-

θημα γίνεται. τὰ δὲ πάλιν αὖθις λεκυθώδη, καθάπερ ἄρακος. i. Etenim legumĩosa natura omnis placida, semineq́ꝫ constans probo, hæc quidem elixandi gratia seritur: vt faba, pisum, ex quib⁹ decoctum paratur pulmentitium. Rursusq́ꝫ aliqua sunt λεκυθώδη. i. ex quibus lecythus parari consueuerit, vt aracus. Lecythus autẽ erat, quoties ex molitis leguminib⁹ farina aqua elixabatur, cui deinde pingue aliquid adderetur, vt in libello de succorum bonitate & vitio Galenus, quo etiam in loco quid ἔτνος esset, apertius omnibus explanauit: ἔτνος οὖν ὀνομάζω, inquit, τὸ ἐκ τῶν ἐρεχθέντων ὀσπρίων τε καὶ χεδρόπων σκευαζόμενον. λέκυθον δὲ τὸ ἐκ τῶν ἀλεσθέντων ἀλεύρου ἑψόμενον ἐν ὕδατι, προσεμβαλλομένου τινὸς λίπους. i. Pultem igitur voco, quod ex confractis leguminibus paratur, lecythum autem ex molitis his elixam aqua farinam, addita pinguitudine aliqua. Quin eadẽ olim ĩ panificio quoq́ꝫ notabatur differentia, vt lecythites alius esset, alius ericites panis, autore Atheno dipnosophistarũ tertio ἐνίτταν δὲ φησὶν ἄρτον εἶναι λεκυθίτην, ἐρινίταν δὲ καλεῖσθαι τὸν ἐξ ἐρειγμένου, καὶ ἀσήσου πυροῦ γιγνόμενον, καὶ χονδρώδους. i. Enitem autẽ panem esse ait lecythiten, sicuti ericiten vocari, qui confracto, minimeq́ꝫ succreto tritico cõfit, & vt halica grummoso. Vbi pro eniten, euniten lego: superius enim dixerat idem autor, εὐνίτας ἄρτος ὁ προσαγορευόμενος λεκυθίτας, ὥς φησὶν εὐκράτης. hoc est, Eunites panis, qui lecythites appellatur, vt eucrates ait. Sic fit, vt quem-

admodum panis ericites quidam vocatus sit, ita in leguminibus ἐρίγμη appelletur. Vtrunq; autem vocabulum natum ab ἐρείκω sit, quod est frango, scindo'ue: vnde parari ἔτνος consueuerit, vt λέκυθος, quum molita fuerint legumina. In panificio autem lecythū eunites ille refert, q lecythites vocatur, vt erigmē & etnos ericites. ἀθάρα autē Galeno ἄθηρα, siue ἀθέρα, vt decimo quarto therapeutices dū de atheromate loquit, vocat, ex tenuissime molito polline paratur secundo de facultate alimentorum. ἀθηρὰ δὲ, inquit, ἐκ τῆς ἀληλεσμένης εἰς λεπτὰ ζέας σκευάζεται. hoc est, Athara autē ex molita tenuiter zea paratur. Hancq; eandem Dioscorides sorbitiūculam esse dixit infantibus accommodatā. Sed de nominibus medicis alias fortasse, nūc negotium pertractandum, quod suscepimus, premēdumq; propositum ac diluenda controuersia, quam γραῦς illa parit, de qua inter initia dicebamus solere eam refrigeratis sæpe iusculis innatare. Huius nanq; ipsius anus exemplo medici quandam ceu nubeculam vrinæ insidentem tenuem, ac iusculi instar concretam, pernitiosam esse eliquantium febrium notam coarguunt, sicuti Galenus cōmentariorū secundo in progn. οἷον τοῖς λιπαροῖς ζωμοῖς ψυχομένοις ἐφίσαται τὸ καλούμενον ὑπὸ τῶν πολλῶν γραῦς, τοιοῦτον καὶ τοῖς ἐκ τῆς συντήξεως οὔροις, ὑπὲρ ὧν νῦν ἐποιήσατο τὸν λόγον αὐτὸς, καὶ τὴν αἰτίαν προσθεὶς. hoc ē, Quale est quod refrigeratis iusculis, quę pīguia sint, insidet à multis γραῦς vocatum, tale quid

dam vrinis quæ colliquamentum sequūtur in-sistit, de quibus nunc meminit, addita etiā causa. Atqui signum hoc, quod exitiosum hoc loco ponit, quippe quod corporis toti⁹ tabem, exesionemq́ indicet, visus est quarto de tuenda sanitate probasse, quum ita scribit: ὅταν μὲν οὖν ἀκριβῶς ἄπεπτον ὑπάρχῃ, λεπτὸν, καὶ ὑδατῶδές ἐστι τὸ οὖρον, οὔθ᾽ ὑπόστασιν ἔχον, οὔτε ἐναιώρημά τι. πεττομένου δὲ ταῦτα φαίνεται, καὶ τινὲς ἄνωθεν ἐφίστανται νεφέλαι λεπταὶ, καθάπερ καὶ ἡ καλουμένη γραῦς, καὶ ἐπίπαγος ἐπὶ τῶν ἀποψυχομένων ζωμῶν. i. Quum igitur ad extremum inconcoctus fuerit sanguis, tenue erit, aquosumq́ lotium, ideóq; nec sedimine spectabit aliquo, nec eneoremate: cōcocto autem visuntur hæc, & nubeculæ præterea quædam superius insident tenues, quemadmodum & vocata γραῦς, & quod concretum est in refrigeratis iusculis. Quis non quæso suspicari queat pro euidenti concocti iā sanguinis signo commendari notam hanc, prima quidem verborum ipsorum facie inspecta tantum transcursuq́ leui? Nam attentius quidem ac penitius ꝙ hic scribitur examinanti, videri facile fortasse poterit, non id sensisse Galenum. Neq; enim vocatam γραῦν, aut cōcretum id concocto sanguine apparere in vrinis dixit, sed insidere iusculis tantum, vt γραῦν illam, & concretum non ad verbū, visuntur, referamus, sed ad illud potius, insident, hoc sensu, cōcocto sanguine in vrinarum superficie nubeculæ apparent quędam, quemadmodum etiam refrige

ratis iuſculis inſiſtere videmus γραῦν cōcretūq́;
id; ſic fiet vt exempli tantum vice rei huiuſce
meminerit Galen⁹ hoc quidem in loco. Quod
ſi qui contendant etiam in ſanorum interdum
vrinis tale quippiam inſpici poſſe, concedatur
id, neq; ideo tamē perpetuum id eſſe eliquatio-
nis ſignum fatendum, ſed crudioris potius hu-
moris cuiuſdam, quem iam natura confecerit,
tenuiores partes quæ ſeſe attollunt, nec ſolam
ſupremam vrinæ partē occupat, ſed etiā matu-
lam circunquaq; ipſam intrinſecus, tenui qua-
dam veluti chartilagine obducunt, quæq; per-
ſæpe ipſo etiam proiecto lotio vaſi tenaciuſcu-
le adhæreant, quod minime certe omniū colli-
quamentum aliquod ſignificet: ac cōtra potius
facultatis notet concoctricis vires roburq;, q̄ iā
crudos id genus humores ſtrenue cōficiat. Quē
admodum etiam in rebus quoq; ſpectatur alijs,
quæ deforis ſunt, vt γραῦς ea non vniformis ſit,
ſed ĩterdum guttulis appareat diſtincta oleoſis
quibuſdam, aut alioqui araneolas referat illas,
lineis perexiguis multis, quaſiq; filamentis inui
cem ſeſe implicantibus diſtinctas, quæ fere om
nia in iuſculis viſuntur refrigeratis, ac pinguitu
dinem omnino quandam ſemper referunt; in-
terdum autem nihil omnino quum ſubſit pin-
gue, rerum quarundam ſuperficiem extimam
videre eſt, craſſitie quadam obductam concre-
ta, vt in pulticulis genus aliquod, vt in ea quæ
ϛαὶς græcis dicitur, farina ſcilicet aqua tantum
ſubacta, quod quanquam γραῦς appelletur, ni-

hil tamen subesset indicauerit pinguis. Eodem igitur aut non diuerso admodum certe modo fit, vt vrinæ interdum superficies ipsa, quoties γραῦς eum occupat, nunc colliquationis alicuiꝰ indicium sit, quemadmodum in eliquantibus perurentibusq; febribus, vsu persæpe venire videmꝰ, morbisq; ijs qui corporis assidue molem absumũt, quo tempore pingue semper innatat aliquid vrinis, nunc autem notæ quidem huiuscemodi representetur species aliqua, verius autem leuior ea crassities quędam sit, ex crassiore, subsidenteq; iam humore resiliens, quem natura concoquat validior. Quod signi tãtum abest prauum vt sit, vt etiam certissimum habeatur roboris indicium, quo iam concoctrix facultas crudiorem paulo antea humorem egregie conficit, sic vt de hoc notæ genere loquutus videri possit Galenus in quarto de tuenda sanitate, vt de priore illo in progn. Quod minime mirabitur, qui nouerit Galenum eo loci quarto scilicet de tuenda sanitate, crudiorũ in venis humorum notas colligere, horumq; ipsorum concoctionis signa. Hoc igit̃ pacto fieri facile posse, vt notæ eæ commendandæ interdum sint, planũ opinor fecimus rerum etiam superiorum exemplo. Alia autem specie quum apparent eæ, hoc est quum pinguitudinem referunt ipsam, nunquam non malæ existimandæ sunt, quippe quę apertissime caloris nimietate atq; efferuescẽtia corporis eliquari pinguedinem monstrent, licet hoc quoq; casu, siquidem breui perdurent,

leuius quoq; longe malum esse indicent: vt quũ aut tẽtari tum primum igneo calore corpus cœperit, aut renes tãtummodo afficiantur, qui pingue aliquid lotio, ob vehementem calorem facile reponant in transcursu. Atqui ea quanquã leuioris mali, affectus tamen cuiusdam merito censenda nota fuerit. Quæ eo diligentius adnotauimus omnia, ꝙ videam medicinæ hodie coryphæos, nec immerito certe existimatissimos in ea esse opinione, vt asseuerare non dubitent, certum ex notis his colliquationis indiciũ non sumi, in quibus pingue aliquid appareat. Quod quum Aristoteles aliquando censuerit adipem ac pinguedinem sanguinem esse concoctum, atq; alibi ex sanguine per concoctionem gigni adipem pronuntiauit, fieri posse dicant concocti vt sanguinis pars aliqua vrinæ innatet, bonumq; ideo censeatur signum. Sed satius fuerit eorum adscribere verba, quæ ita habent: Causa vero quia adeps possit esse concoctionis indicium, ex Aristotele facile cognoscitur, dicente adipem & pinguedinem esse sanguinem concoctum. & alio loco: Quod ex sanguine per cõcoctionem gignitur adeps. Sanguinis ergo concocti aliqua portio vrinæ innatãs, rem potest ostẽdere illi similem, quæ supra infrigidata iura cõcrescit, esseq; ideo bonũ indicium. Quod quonam tandem fieri pacto possit, minime mehercle video, vt quæ serosam trahit sanguinis partem vis, excremẽtisq; illum huiusmodi liberat, optimam etiam secum vna illius portionẽ defæ

catissimamque, ac tenuem maxime, leuemque defe
rat, cui minime omnium muneri peragendo di
cata sit. Nos enim ex Galeno didicimus libro
de temperamentis secundo: ὡς ὅσον ἐν αἵματι
πῖον τε ἐστὶ καὶ κοῦφον, καὶ λεπτὸν, ἐν μὲν τοῖς θερμο
τέροις σώμασι τροφὴ γίνεται τοῦτο τῷ θερμῷ. κα
τὰ δὲ τὰ ψυχρότερα διασώζεται, καὶ τῶν φλεβῶν ἔξω
διηθούμενον, ἐπειδὰν μὲν ψυχροῖς περιπέσῃ μορίοις,
οἷοίπερ οἱ ὑμένες εἰσὶν, ἐκείνοις περιπήγνυται. κατὰ
δὲ τὰ φύσει θερμότερα, (τοιαῦτα δὲ ἐστὶ δηλονότι τὰ
σαρκώδη) δαπανᾶται τε πρὸς τοῦ θερμοῦ, καὶ διαφο
ρεῖται. i. Quod quodcunque in sanguine pingue,
leue ac tenue reperitur, in calidioribus quidem
corporibus calori id pro alimento cedit, in fri-
gidioribus vero seruatur, extraque venas colatu
delatum: siquidem partibus occurrat frigidis,
cuiusmodi membranæ sunt, circa eas cogitur,
sicuti in ijs quę calidiores natura habentur, (quod
genus carnosæ videlicet partes sunt) calido ab-
sumitur ac digeritur. Ergo alio prorsus agit
sanguinis pars hęc, quam in vrinas. Quod si sangui
nis concocti portio aliqua, vt ille ait, innatans
vrinæ rem potest ostendere illi similem, quæ su
pra infrigidata iura concrescit, cur non quæso
cruentæ potius tunc notentur vrinæ? Debuis-
sent certe quandoquidem portio ea, autore eo-
dem, quæ nondum extra venas in pinguedinem
abijt, sed illis adhuc continetur, quum nihil ni
si verissimus sanguis, genuinusque sit, ac summe
concoctus: siquidem vrinæ insideat cruentam
eam quoque reddere non immerito debeat. Per-

colatus autem è venis sanguis ac membranarũ, aut frigidioris alioq; partis alicuius occursu pinguedo iam factus, retroq; in venas abiens caliditate nimia, ac perurente eliquatus, (nam hoc illi haud temere aliter euenerit) vrinisq; ideo insidens cõcoctionis scilicet fuerit exactæ argumẽtum, ac non potius certissimum ignei caloris signum, qui à naturali tantum abest, quãtum ab extranea ꝑrsus re aliqua natura ipsa. Quorsum igitur attinuit Aristotelem in hoc citare autorem, qui nihil aliud q̃ Galenus ipse hac quidẽ in re sentiat. Adipem enim hic & pĩguedinem nihil aliud q̃ sanguinem esse concoctum dixit, pinguem ille tenuemq;, ac leuem sanguinis partem, confecti scilicet ad summum concoctiq;: vterq; tamen censeri potest, adipis vti hunc, esse materiam potius putasse. Sanguinis autem pars ea etiam num in venis cõtenti quam pinguem esse dixit Galenus, monstrari debuit qua nã tandem via iuuare vrinis possit, dum quidem probe concoquunt venæ: non enim vis eam attractrix, quæ serosam tantum ad se allicit partem rapuerit, non canales alij purgando excremẽtis sanguini, defæcandoq; constituti, traxerint, vt in qua omnium minime excrementitiæ quicq̃ naturæ insit, ac longe certe minus cõtentrix eã facultas imbecillior facta remiserit. Sic enĩ cruẽtæ potius spectabuntur vrinę, quando verisimilie fiat reliquum etiam sanguinem imbecillitate ea remitti debere, ac longo certe magis quanto is pingui parte illa concoctus minus, ideoq;

nutriendo quoq; idoneus minus ſit. Nec quem vicinæ partes æq; pro nutrimento ad ſe rapiāt, atq; exacte concoctam confectamq; eius partē. Ergo quum nulla commoda ſatis iniri poſſit ratio, quamobrem ſanguinis pars pinguior ea in venis quæ ſit, decumbere in vrinas queat, quæ quidem concoctionis indicium præ ſe ferant, nec quæ extra venas percolata exierit ī pinguedinem, ſi retro ceſſerit aliud q̄ manifeſtum colliquationis argumentum habeatur, non facile perſpicio, quid nam tandem portendere boni poſſit lotium eiuſmodi, in quo pingue tale aliquid innatet. Nam quod de vrinis hi afferunt oleoſis, quales Galenus ſæpenumero ſe vidiſſe teſtatus ſit in morbi concoctione, viſi mihi ſunt (vere enim dicam) præuaricari voluiſſe. Si quis enim paulo diligentius perlegat, quæ à Galeno ibi ſcribuntur tertio ſcilicet commentariorum in epidemiorum tertium, dum primi omnium ibi ægroti notæ explicantur, videat is perquam facile pīguedines eum. huiuſmodi. i. λιπαρότητας in vrinis clara ſemper voce dānaſſe, lotium autem probaſſe tantum, quod oleum colore ſolūmodo, ac craſſitie referat, ſic tamen nulla vt pinguitudine notetur, de quo ſic ait: πολλάκις δὲ τοιοῦτον οὖρον ἐθεασάμην οὐρηθὲν ἐπ' οὐδενὶ κακῷ τοῦ κάμνοντος, ἀλλ' ἔσθ' ὅτε γε τοὐναντίον ἅπαν ἐπὶ πέψει τοῦ νοσήματος. οὐ μὴν οὐδ' ἐφθη πότ' οὖρον ὅλον οὕτω λιπαρὸν ὡς ἔλαιον. ὁ γὰρ ἄρτι δικλῆθον οὖρον ἐοικὸς ἐλαίῳ κατὰ χρόαν, καὶ σύστασιν, ἥκιστα λιπαρὸν φαίνεται. i. Sæpenumero aūt

tale ego lotium remissum notaui, nullo cum æ-
grotantis periculo, cōtraq; potius in morbi cō-
coctione, sed nec notatum tamen vnquam lo-
tium aliquod fuit perinde ac oleum pingue: nā
quod modo rettulimus lotium oleo colore ac
consistentia simile, minime id vero pingue visi-
tur. Ac deinceps pingue id in vrinis autorita
te quoq; Hippocratis damnat, quumq; geminū
afferat vocis huius explicationem: priorē, quæ
oleosas id genus vrinas, pro pinguib⁹ accipiat:
alteram quæ colore tantum ac consistentia, vti
diximus, oleo siles. Pīgues illas prauas, igneiq;
cuiusdam caloris esse ait indicium, pinguiores
corporis particulas colliquantis: non vsq; adeo
tamen vehemētis, atq; ille est, quo carnosæ par
tes absumūtur. Ipse tamen in eam toto (vt aiūt)
corpore sententiam it, vt oleosas Hippocrates
vrinas hasce citra pinguedinem intellexerit.
ἐμοὶ μὲν οὖν, inquit, εὐλογώτερον εἶναι δοκεῖ τὰ πα-
ραπλήσια κατὰ χρόαν τε καὶ σύστασιν ἐλαίῳ, λελέ-
χθαι νῦν ἐλαιώδη. i. Ac mihi quidem verisimili⁹
videtur oleosas hoc loco dictas esse vrinas, quæ
oleo penes colorem, ac cōsistentiā similes sint.
Quas ipse subīde probet, sicuti è diuerso eas
nunquā non in primis vituperat, in quibus pin
guedo notetur aliqua. Minime ergo censendū,
vt quum sanguinis pars ea cōcocti vrinæ inna-
tat pinguior, bonum id habeatur signum, quū
ab omnibus meritissime damnetur. Nam q ali
quando γραῦν illam Galenus inter concoctio-
nis notas admiserit, recte id eum sentire apertū
(nisi

(nisi fallor) fecimus, rerum nonnullarum exemplo, quoties leuis quædam tenuisque humorum crassities in superiorem lotij partem redundat, in qua pinguis tamen interea notetur nihil.

Non variasse Galenum sententiam super doloris voluptatisque generatione, quod aliqui suspicari non immerito possint,

Enantioma XXVII.

VOluptatis ac doloris sensus quomodo ĩ corporibus suboriatur, dum explicaret Galenus primo de symptomatum causis, Platonis, vt in multis solet, secutus sententiã videtur, qui in Timæo ad hunc modum scribat: τὸ μὲν οὖν παρὰ φύσιν, καὶ βιαίως γιγνόμενον ἀθρόως ἐν ἡμῖν πάθος ἀλγεινόν, τὸ δὲ εἰς φύσιν ἀπιὸν αὖ πάλιν ἀθρόον ἡδύ, τὸ δὲ ἠρέμα καὶ κατὰ μικρὸν ἀναίσθητον .i. Affectus quidem qui præter naturam in nobis violenterque fit, atque affatim, dolorificus est: qui vero in naturam abit, itidem affatim, suauis: at qui sensim paulatimque fit, insensibilis. Et paulo post quum doloris sensum ob cõtinuitatis maxime solutionem excitari affirmasset: οὕτω μὲν δή, ait, πᾶν πάθος λυπηρὸν ἐν ἁπάσαις γίγνεται ταῖς αἰσθήσεσι. τὸ δ' ἐναντίον αὖ τῷ τὸ ἡδὺ διὰ τὴν ἐναντίαν αἰτίαν. τοῦ γὰρ κινδυνεύοντος διασωθῆναι, ἡ εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐπάνοδος ἀθρόα τὴν ἡδονὴν ἀπεργάζεται. i. Atque ad hunc quidem modum affectus omnis dolorificus in omnib⁹

contingit sensibus, vt contrarius huic ob cōtrariam causam: rei enim quæ iam diuelli periclitatur, ad naturalem habitum reditus qui affatim contingat, voluptatem facit. Atq; hoc sanè pacto fit vt voluptas in simultanea quadam, ac vehementi ad naturam reditione consistere videatur. Nunc afferamus ea quæ manifesto videri possint sententiæ huic aduersari, ex duodecimo therapeutices meth. quo loco ita ait: ἀναμνησθῶμεν αὖθις ὡς οὐδ' ἡ ἀλλοίωσις ἡ κατὰ βραχὺ γινομένη δύναιτ' ἄν ποτε ὀδυνῆσαι τὸ ζῶον, ἀλλ' ἀναγκαῖον ἀθρόαν τε ἅμα, καὶ βιαίαν γίνεσθαι τὴν μεταβολὴν, εἰ μέλλει τι ὀδύνη γενήσεσθαι. φαίνεται γὰρ οὐ μόνον εἰς τὸ παρὰ φύσιν, ἀθρόως ἀγόμενα τὰ σώματα λυπηρὰν ἴσχειν τὴν μεταβολὴν, ἀλλα καὶ τὴν εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐπάνοδον αὐτὴν, εἰ μὴ κατὰ βραχὺ λαμβάνοι, κἂν τούτῳ πονοῦντα. τοὺς γοῦν ὁδοιπορήσαντας ἐν σφοδρῷ κρύει θερμαινομένους ἀθρόως, ἴσμεν ἀλγοῦντας οὕτως ἰσχυρῶς τὰ περὶ τὰς ῥίζας τῶν ὀνύχων, ὡς μὴ δύνασθαι φέρειν. i. Recordemur rursus q; ne alteratio quidem ipsa quæ quidem sensim fiat, excitare vnquā dolorem in animāti poterit, sed violenta simul ac conferta sit mutatio ea necesse est, siquidem aliquid inde prouenire doloris debet: quandoquidem non solum visantur corpora dolorificam transmutationē habere, quæ cōfertim affatim'ue in id quod præter naturam est, ducuntur, verumetiam in reditu ad naturalem habitum ipso, nisi eum paulatim suscipiant, dolorem tunc persentientia. Sanè eos qui in magnis frigoribus iter ingressi ea

ſent, affatim excalfactos nouimus intolerabili quodam circa vnguium radices dolore correptos fuiſſe. Corruat ergo iaceatq́ prorſus ſententia ea neceſſe eſt, quam in libro de ſymptomatũ cauſis ex Platonis opinione adduxit, quũ cõtrarium hoc loco clariſſima prorſus teſtetur voce, exemploq́ id confirmet eorum, qui confecto ſub vehementi frigore itinere, calore ſibi vehementi cõfertoq́ ac ſimultaneo remedium quærunt. Quid itaq́ ad iſta dicemus? idem profecto quod Galenus aliquando ipſe protulit in libello de tremo. & palpi. quaſi de induſtria cõtrouerſiam hanc diluens: quem ſane locum neſciſſe, aut quod libẽtius crediderim, diſſimulaſſe viros alioqui eruditiſſimos mirum profecto ſit. Ibi enim Galenum videas, Platonem ſecutus, tria rerum harũ diſcrimina aperuiſſe: quorum primũ eorum quæ nullo percipiuntur ſenſu, vt quæ ſenſim, paulatimq́ fiunt, ἠρέμα ſcilicet, καὶ κατὰ μικρὸν, vt dicebat Plato: alterũ eorũ quibus ἀθρόον illud accedit, quod vt ſentiri iam res ipſæ poſſint, præſtet: tertium quibus violentia quoq́ additur. Hæc vero iã præter id ꝙ ſentiant, dolorem etiam experiuntur ſemper, vſq́ adeo quidem, vt vbicunq́ violenter aliquid in rebus his ingruit, dolor ibi ſtatim ſuboriatur, etiam ſi ſpecies alicubi ad naturalem habitum reditionis appareat, vt in vehemẽti frigore correptis, qui ſe igni ſtatim liberaliter exponunt: quandoquidem in his calor ille igneus nõ tam naturalem habitum reſtituat, quod cõtingeret

ſi ἀθρόως quidem, hoc eſt ſimultanee, ſed placidius tamen fieret q̃ violentia dolorem inferat, continuitatis nimirum diſſolutione, quæ impetus hoſce vehementiores ſequi conſueuit. Dolor enim nunquam non ſubſtantię ipſius vnitatem ſolutam ſequitur, etiam in iis quæ excalfaciunt, aut refrigerãt, quum tam calor q̃ frigus, (quanquam diuerſa vtrũq; ratione) doloris hoc ſemper nomine inferant ſenſum, ꝙ corporum deſtruunt continuitatem. Siquidem calor ꝙ cõtinuum erodat, id præſtet: frigus autem ꝙ dum corpora primum denſat adſtringitq́;, neceſſario inde tenues prius humores excernantur, deinde & vellicus ea mordicare videatur alio quidẽ q̃ calor modo. οὐ γὰρ τῷ διαβιβρώσκειν τὸ συνεχές, aiebat Galenus quarto de ſimplicium medicamentorũ facultatib9, ἀλλὰ τῷ διασπᾷν ἀνιαρὸν τ᾽ ἅμα καὶ δακνῶδες ὑπάρχει τὸ ψυχρόν. ideſt, Neq; enim cõtinuum erodendo, ſed diuulſum potius faciendo moleſtum ſimul ac mordax frigidum eſt. Quã ſane ſententiam rettulit, libensq; agnouit primo de cauſis ſymptomatum libro quum de dolore diſſereret, quem calor frigusq; excitet. Quo in loco paulo etiam poſt ita ſcribit: καὶ φαίνεται κοινὸν ἐν ἁπάσαις ταῖς αἰσθήσεσι τὸ ἀνιαρὸν πάθος ἐκ διακρίσεώς τε καὶ διαιρέσεως τοῦ συνεχοῦς, καὶ ἡνωμένου σώματος ἀποτελούμενον. hoc eſt, Videturq́; in vniuerſum affectus, qui moleſtiæ ſenſum inferat in ſenſibus omnibus ob corporis continui vnitiq́; diſcretionem diuiſionemq́; fieri. Sic fit vt doloris hæc

vbiq; reperiatur causa, atq; ita in corporibus frigore correptis ac prope glaciatis, accedens calor liberalis nimium, cõfertusq; dum violenter sese illis insinuat contractaq; ea permeat, quasi mordicus erodens dolorificus contingat: vt è diuerso si excalfacto corpori, quantum necesse est frigoris adhibeas, nihil inferas nocumenti, contraq; potius iuues, quod hoc pacto ad naturalem habitum reditus absq; violentia contingat. At quũ idem frigoris naturaliter se habẽti corpori admoueris, vna doloris statim sensum attuleris, ꝙ refrigerãdi nimietas ea corpus iam diuellat, eiusq; dispescat continuitatem, quemadmodũ sensit Galenus in libello de tremo. & palpit. sic scribens: ὅθεν ἓν καὶ ταυτὸ τῷ πλήθει ψυχρὸν τὸ μὲν ἴησε, τὸ δ᾽ ἀνίασεν. εἰ μὲν ὑπερτεθερμασμένῳ σώματι προσάγοιτο πάντως ἴησε. τὸ γὰρ ἄμετρον τῇ θερμασίᾳ πονούμενον, ἐπὶ τῇ τοῦ λείποντος εἰσόδῳ ψυχροῦ παρηγορηθὲν ἥσθη μὲν ὅτε παρηγορήθη, τὴν ἑαυτοῦ δὲ φύσιν ἔχον ἢν ἀθρόως ἐμψύχῃς ἀνιάσεις. πονήσει γὰρ ἐπὶ τῷ τῆς κράσεως ἀμέτρῳ. i. Quo sane fit, vnum vt idemq; quantitate frigus hunc iuuet, illum lædat: nam si plus iusto excalfacto corpori admoueatur, omnino iuuerit, quod enim immodica caliditate laborabat deficientis frigoris accessione adiutum, voluptatem quidẽ auxilio hoc persensit. At si propriam suiipsius naturam retinens affatim refrigeraris, offendes: frigiditatis enim nimietate laborabit. Hoc est diuelli periclitabitur, quum tam calor, ꝙ frigus, quanquam diuersa vtrũq;

Vt dictum iam eſt, ratione, ſemper tamen quod cõtinuitatem deſtruant, dolorem creent. Ergo ꝙ Galenus aliquando reditum etiam in naturã niſi paulatim fiat, dolorificum eſſe teſtatus ſit, nihil profecto eſt ꝙ inconſtantiæ notetur: nam quum de tranſmutatione violenta illa mentionem faceret, eam eſſe illius vim dixit, vt reditus etiam ad naturam, qui alioqui ſiquidẽ affatim ſed citra violentiã tamen fiat, iucundus eſſe voluptuoſusq́ cenſuerit, huius ipſius violẽtiæ acceſſione dolorificus euadat, vnitatis nimirum diſſolutione rei omnino prꝫternaturalis, quam violentia illa efficiat. Quo planè fit, vti verba etiam illa εἰ μὴ κατὰ βραχὺ λαμβάνοι. i. niſi paulatim fiat, id ſignificent vnum, niſi infra violentiã ſubſtiterit. Platonis porrò verba ſi quis integra volet ex Timęo ita habent: τὸ δὲ τῆς ἡδονῆς καὶ λύπης, ὧδε δεῖ νοεῖσθαι. τὸ μὲν παρὰ φύσιν καὶ βίαιον γιγνόμενον ἀθρόον, παρ' ἡμῖν πάθος ἀλγεινὸν, τὸ δ' εἰς φύσιν ἀπιὸν πάλιν ἀθρόον ἡδὺ, τὸ δ' ἐναντίον τούτοις ἐναντίως, τὸ δὲ μετ' εὐπετείας γιγνόμενον ἅπαν αἰσθητὸν μὲν ὅτι μάλιστα, λύπης δὲ καὶ ἡδονῆς οὐ μετέχον. i. Quod vero ad voluptatẽ & dolorẽ attinet, ſic oportet diſtinguere: p̃ternaturalis quidẽ affectus violentus confertusq́ in nobis factus, dolorificus eſt: qui vero in naturam abit itidem confertus, voluptuoſus: contra vero in ijs quæ contrario modo ſe habent, fit: at quæ placidius abſoluunť omnia ſunt ea quidem vel in primis ſenſibilia, doloris vero voluptatisq́ minime participant. Quę propterea

adſcripſimus, quod facilius inde notari rerum faſtigia illa mihi poſſe videãtur, inſenſibilium, ſenſibilium, violentorum, quæq́ voluptatem, dolorem'ue excitent.

De temporibus grauidarum, tum cur tertius alibi mẽſis medio geſtationis vteri tẽpori demptus, alibi additus fuerit, conciliatiq́ ſuper hoc pugnantes inter ſe Hippocratis ac Galeni loci.

Enantioma XXVIII.

HIc iã Hippocratis quoq́ vna notemus contradictionem, ſed quæ Galenũ tamen vna ſecũ quoq́ in conſenſum traxerit: τὰς κυούσας, inquit, φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν. ἧσσον δὲ ταύτας. τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρὴ quarto aphoriſmorum libro. i. Vtero gerentes turgẽte materia purgabis à quarto vſq́ ad ſeptimũ menſem, atq́ has minus, iuniora autem & ſeniora vereri oportet.

Quartus hoc loco, qntus, ſextusq́ mẽſis, Hippocrati Galenoq́ enarratori ſecuritate præſtãt: at his tertius additus iiſdem autoribus tertio cõmentariorum libro, in Hippocratis epidemiorum primũ, his verbis ſub libri calcem in verborum expoſitione, quorum initium: γυναῖκα ἣ κατέκειτο ἐν ἀκτῇ τρίμηνον πρὸς ἑωυτὴν ἔχουσαν πῦρ ἔλαβεν. i. Mulierem quæ Actæ decumbebat tertio iam menſe vterũ gerentem febris arripuit. Siquidem hoc loco tertiĳ quoq́ menſis

vim agnoſcit Hippocrates, quem aphoriſmorũ quarto neglexiſſe videri poteſt, nec diuerſa iam ſentit Galenus, ĩ verborum horũ ipſorum enarratione, ſic enim ſcribit: ἔτι δὲ κἀκείνου μεμνῆσθαι προσήκει, τοῦ τριῶν καὶ τεσσάρων μηνῶν δυσπαθέστατον τῶν ἄλλων εἶναι. i. Praeterea illius quoq; meminiſſe debemus tertij ſcilicet, quartiq; mẽſis tempus difficillimum prae alijs eſſe ad ſuſcipiendum nocumentum. (deeſſe enim χρόνον in graeco arbitror, aut tale aliquid) & deinceps: καὶ τοῦτο γινώσκων αὐτὸς ἐν ἀφορισμοῖς εἶπεν, τὰς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν. ἧσσον δὲ ταύτας, τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρὴ. i. Atq; hoc ipſe animaduertens dixit in aphoriſmis, vtero gerentes purgare oportet, turgente materia, a quarto menſe vſq; ad ſeptimum: minus autẽ has ipſas: iuniora autẽ & ſeniora vereri oportet. & paulo poſt: διὰ ταῦτα μὲν τὰ τρίμηνα καὶ τετράμηνα μᾶλλον διασώζονται τῶν ἄλλων. i. Atq; ob haec, quae tertio quartoq; menſe vtero gerunt, facilius quã alię euadũt. Videas hic Galenũ vbiq; tertij quoq; menſis vim, ſecuritatemq; agnouiſſe, idq; citato etiã pro teſtimonio quarto libri aphoriſmo. quaſi ibi omnino tertij quoq; menſis mentionem fecerit Hippocrates. Haec cõtrouerſia diu torſit, vt ipſi quidem de ſe fatentur, clariſſimos quoq; huius aetatis medicos vſq; adeo quidem, vt poſt quaeſitas anxie ſcrupuloſeq; nodi huiuſce intricati in primis atq; implicati diſſolutiones, pro depoſito illum atq; indiſſolubili reli-

querint, vt quem neq; digitorũ vnguium'ue auxilio, neq; vero mordicus arreptum explicarint satis. Sic enim responsiones ad hæc instituunt, sic effugia vndiq; aucupãtur, vt interim sibi minime placeant, seq; manifesto teneri arbitrent. Quid igitur tu ne longe inferioris notæ, dicet aliquis, tantum tibi sumes, vt quod alij non viderint atq; ij occulatissimi, videre te posse putes: Ego vero minime posse puto, neq; tantum mihi sumo aut arrogo, sed sicuti mihi hoc non arrogo, ita illud profecto non derogo, posse me quod vnus aliquis è communi etiam medicorum schola possit ĩ medium aliqua afferre, quæ si non ad rem prorsus faciant, fortasse non omnino abs re dicta existimari possint. Sed prius illorum responsiones afferamus. Hippocratem primum aiunt obseruationem hoc loco potius & experientiam, q̃ rationem secutum, tertij mẽsis mentionẽ fecisse. Contra in aphorismis, vbi ferè ratione nititur totum gestationis tempus in tres æquas distribuisse partes, atq; extremis circunscriptis medicam vt securam minimeq; nocumentis obnoxiam commẽdasse. Quod si ita habet, mirum profecto est Galenum hoc ea diligẽtia ac vigilantia enarratorem fugisse, quũ id vbiq; fere faciat, vt quoties tale aliquid in enarrando Hippocrate occurrit, modo in vniuersum pronũtiasse eum dicat, modo priuatim tãtum tale quippiam obseruasse. Quin in prorrhetici libelli illius, haud alioqui Hippocratis, verborum quę ipse non probet expositione, vi

deas eum persæpe hoc potissimum nomine autores eos damnantem, quod quæ semel aut iterum tantum notata animaduertissent, de his perinde ac stabilibus firmisque perpetuum interdum aliquid statuant, id quod hoc quoque loco facturus profecto fuit, si quid tale existimasset. Sed vt hoc de Hippocrate tandem demus rationē scilicet eum in aphorismis, vt hic obseruationē quandam secutum, quid de Galeno ipso dicemus? quem videas aperte hic planissimeque sic de tertij mensis natura vique disputare, vti eum ratione in primis confirmet, eiusdemque prorsus tertium, quartumque mensem lance expendat, prorsus vt Galeno hoc loco tertij eadē sit, quæ quarti mēsis natura, aduersusque noxas repugnātia, deque vtroque statuere in vniuersum videatur. Porro altera eorum responsio discrimen adducit, marem vtero gestantis ac fæmellam, ac tertio quidem mense quæ marem gerat, validiorē esse ait, de qua in epidemijs scripserit, vt quarto quæ fœminam, de qua in aphorismis, quod hæc fere quod mas serius ī vtero formetur, motumque sortiatur. Quod cuiusmodi sit viderint æqui tandem iudices, ego certe nihil tale affirmare temere ausim, neque rem suspicari, cuius nullum ne leuiter quidem impressum vestigium appareat in verbis Galeni, Hippocratis'ue. Tertio aūt loco duplicem afferunt tolerantiam, partim qua prægnantes facile ferunt medicamentum purgatorium, de qua in aphorismis tractarit Hippocrates; partim qua morbis resistūt, quam vnam in

epidemijs intellexerit. Sed sic quoq; idē profecto adhuc saxum voluem⁹, Hippocratem enim defenderimus fortasse à controuersia hoc pacto, Galenum autem nihil interim tuebimur, qui sic de tertio mēse in epidemijs disserit inter exponendum, vt si quis penitius eius verba introspiciat, notet proculdubio is existimasse Galenum omnino tertium quoq; mensem ab Hippocrate ī aphorismo inclusum quarti libri. Prçterea inquit huius quoq; meminisse oportet tertium quartumq; mēsem difficillimos omnium ad patiendum esse, quod quidē animaduertens ipse in aphorismis dixit: Vtero gerentes purgabis medicamēto, si materia turget, à quarto mēse vsq; ad septimum, minus vero has. Quis hic quçso non videat Galenum credidisse, tertium quoq; mensem ab Hippocrate comprehensum fuisse hoc loco potestate saltem quadam? quod cuiusmodi sit paulo post videbimus. Et alioqui eādem in epidemiorum expositione rationem affert tolerantiæ, quum in aphorismis vti iam hoc argumento existimari possit, nullo de hac discrimine tractasse. τοῖς μὲν οὖν παιδίοις, īquit, οἵ τε δεσμοὶ καθ᾽ οὓς τῇ μήτρᾳ συμπεφύκασιν ἀσθενεῖς εἰσι, καὶ τὸ σύμπαν σῶμα μαλακόν. i. Fœtus igitur, & ligamenta ipsa quibus vtero adnexus est, imbecillia sunt, & corp⁹ vniuersum molle.

Corporis hoc loco mollitiē addidit ligamentorum imbecillitati, quorum planè ob vtrunq; abortu periclitari possunt prægnantes, tam quç medicamentum sumpserunt purgatorium, q̃

quæ morbis afflictantur eiuſmodi, ſymptomatiſq; his grauiſſimis mehercle, ac periculoſiſſimis, qualia Hippocrates mulierculam eam ſuſtinuiſſe deſcribit: non enim diuerſitatis rationem video. Quod ſi hoc caſu prægnantem vſq; adeo grauiter affectam morbum euaſiſſe exiſtimabimus tertij in primis menſis beneficio, quãto id magis exiſtimari de prægnãte poterit, quę purgans medicamentum potarit, idq; turgente materia, hoc ẽ, eductu omnino facili minimeq; rebelli: ſic fit vt eadem vtroq; caſu obeſſe noxæ poſſint, ſicuti vſus prodeſſe. Sed & Galenus ipſe in aphoriſmi expoſitione illius toties iam recitati, vtero gerẽtes &c. ſic ait: κατὰ τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ τὰ κυούμενα ἐν μὲν τῷ πρώτῳ χρόνῳ τῆς καταβολῆς τοῦ σπέρματος, κἂν ἅλλεσθαι ποτὲ συμβῇ, ἢ καταπεσεῖν ὠλισθήσασαν, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως σφοδρότερον ἢ κατὰ ψυχὴν, ἢ κατὰ σῶμα κινηθῆναι ῥαδίως ἀπορρήγνυνται, παραπλησίως δὲ καὶ ἐπειδὰν ἤδη τέλεια τυγχάνει ὄντα. ὁ δὲ μεταξὺ χρόνος ἀσφαλεστέραν ἔχει τὴν σύμφυσιν, ὥστε καὶ κινήσεων σφοδροτέρων ἀνέχεσθαι, τὴν κύουσαν ἄνευ τοῦ βλαβῆναι τὸ ἔμβρυον. i. Ad eundem ſanè modũ fœtus quoq; ſub primum tempus quo proiectum ſemen fuerit, ſi quando agi mulierem ſaltu contingat, aut ĩ lubrico collabi, aut quomodocũq; tandem aliter vehementius animo, corporéue moueri facile abrumpũtur, quod illis ſimiliter vſu venit, quum perfecti iam fuerint: medium autem temp⁹ ſecuriorem adnexum obtinet, ſic vt prægnans citra fœtus ipſius noxã motus fer-

re vehemētiores queat. Videre est hoc locò Galenum rationi quam attulit accommodasse commotiones omnes, non solum quæ corpus exagitent, quod genus habentur medicamēta, morbi, & symptomata, sed etiam animi. Quo planè argumento conuincitur Galenum nullum neq; hic neq; in epidemijs notasse penes quidem tolerantiam discrimen. Sed quo nam tandem pacto ostēdimus, quod paulo ante polliciti sumus, cōtineri potentia saltem quadam, tertij quoq; mensis vim in aphorismo eo? hoc, nisi fallor, modo, quem sanè quanquam sciam anxium visum in nōnullis, morosumq; nimis, proferam tamen, magis mehercle vt aliorū subeat cēsuram, q̃ vt super re hac aliquid decidā statuāq;. Et hercule si nostræ ætatis coryphæis, qualem ego semper fuisse Ioan. Manardum fatebor, venire tandem in mentem potuit hoc loco, vt distinctionem illam afferrent de mare & fœmella, re, sicuti patere vnicuiq; facile potest, Galenum vtrobiq; Hippocratemq; legēti, quā ex horum ipsorum verbis, ne odorari quidem liceat, cur mihi tandem fraudi esse debet tale aliquid scripsisse, pręsertim non de nihilo prorsus opināti, cōtraq; potius opinionis ipsius ansam tenenti? Videtur enim mihi ambiguitatis huiusce recludendæ cardo totus versari in Hippocratis verbis illis, ἧσσον δὲ ταῦτας. i. minus autē has. Quæ sane verba ad septimum referre mensem minime possis, quod hunc nominatim excluserit Hippocrates: τετράμηνα enim, ait, καὶ ἄχρι

ἕπτὰ μηνῶν. i. Quadrimestria & vsq; ad septimũ mensem. Sic fit vt his verbis septimum prorsus mensem eliminarit, quem nullatenus purgationi accommodum esse arbitretur. Nõ autem aliqua ex parte, vt verba illa, minus autem has, siquidem de septimo intelligerentur mense significarent. Sic igitur mediam grauidę tempus admisit Hippocrates, ad purgãdumq; aptum esse dixit, vt interim tamen extremam illius partem sextum videlicet mensem exceptione quadam notet: idem profecto facturus in quarto quoq; mense, si quid de eo tale suspicatus fuisset. Nũc quũ de sexto nominatim propè cauerit, quartum autem tantummodo commendarit, colligit certe sicuti timidiuscule in sexto mense purgandum, ita in quarto tutius securiusq; agendũ esse. Quod si verum est, sicuti profecto verũ est, vel hac Hippocratis ipsius attestatiõe, quid erit tandem causæ quamobrem non fateamur, tertium quoq; mensem ipsum qui securiorẽ hanc prægnationis partem attingat, multum quoq; ĩse securitatis continere, hocq; nomine, potestate saltem quadam subintellectũ ab Hippocrate in aphorismo fuisse: Quod si admittitur, iam compositum facile super re hac fuerit, verusq; reperiet Hippocrates, verus vtrobiq; Galenus, neq; vlla illis inuretur repugnantiæ inter se nota. Sin scrupulosum hoc alicui, nimisq; sollicite dictum videatur, iam superest quædam, quasi ἱερὰ ἄγκυρα ἔτι ἄβροχος quam sanè iaciamus: ea est vt dicamus securissimum omnium tẽpus,

ſecutos autores hoſce in aphoriſmis, minimeq́ꝫ nocumẽtis vllis obnoxium, hacq́ꝫ gratia priua- tim etiam, atqꝫ adeo expreſſa prope ſententia ſextum notaſſe Hippocratem, ꝙ illi ſuſpitionis in eo aliquid omnino ſubeſſe videbatur: at ter- tij quoqꝫ vim agnouiſſe Hippocratem in epide mijs, eo mulierculæ illius caſu, agnouiſſe etiam Galenum, deq́ꝫ illius natura, vi, poteſtate, non obſeruatione quadam aut experimento, ſed ra- tione quam videre licet, innixum pronũtiaſſe, at nõ in vniuerſum tamen vſqꝫ adeo, vt de quar to, ſed illa cũ exceptione, vt ætas quoqꝫ vna ad- ſit floridior, ideoq́ꝫ virium etiam magna ex par- te robur, id quod facile ſubinnuere videas Ga- lenum in principio expoſitionis verborum in epidemijs: ἐσώθη μὲν αὐτὴ, εἰ καὶ ἰσχυρὰ εἴρηκεν ἅ- παντα νοσήματα, καὶ σφαλερώτερα, καὶ θαυμάζω γε ὅπως οὐδὲν ἔγραψε περὶ τῆς ἡλικίας αὐτῆς. καὶ μὴν μεμνῆσθαι προσήκει τῶν εἰρημένων, ἕνεκα τοῦ γινώ- σκειν ἐν τῷ σπανίῳ διασωζομένας τινὰς ἐγκύμονας ἐκ τοιούτων νοσημάτων ἄνευ διαφθορᾶς τῶν ἐμβρύ- ων. i. Euaſit quidẽ mulier hæc, tametſi vehemen tes rettulit morbos omnes & valde piculoſos: ac mirari ſubit quomodo factum fuerit, vt ni- hil de illius ætate adſcripſerit. Atqui dictorum iam meminiſſe oportet, vt ſciamus rarenter cõ- tingere, vt ex huiuſmodi morbis euadant graui dæ quædam citra abortum. Miratur Gale- nus ſubticuiſſe ætatem mulieris Hippocratem, quaſi ad tantum vitæ diſcrimen effugiendum, ætate eam quoqꝫ viguiſſe neceſſe ſit, deinde ra-

ro seruari grauidas quasdã dixit, i. iuuenes, aut alioqui virium robore prævalidas: atq; ita fiet vt beneficio tertij quoq; mensis euadãt hæ, sed si ætas pręterea tamen adsit florens viriumq; robur, quod fere sequi ętatis vigorem consueuit, hocq; pacto adscriptum hoc loco mensem illũ, vt ĩ aphorismis omissum fuisse dicemus, q nulla ibi cõditio talis esset. Atq; hæc, vt Galenum quoq; vna tueremur, diuersa attulimus. Nam si quis Hippocratem vnum à contradictione hac vindicare studeat, paratissimum is habet Galeni testimonium, qui locis aliquot librorum de diebus criticis aphorismorum, & prognosticorum libros, posterius q̃ epidemiorum scriptos fuisse attestetur, vt mirum non sit tertium grauidarum tempori mensem subtractum ab eo in aphorismis, id quod in dierum etiam criticorũ numero quorundam fecerit, ob potiorem rerũ harum, quum aphorismos & prognostica scriberet, vsum atq; experientiam, non rationẽ tantum, contra ac prior illa dictabat solutio.

Quo pacto pulsus velocitatem, ĩterdum magnitudo sequatur, interdum non sequatur, sed frequentia succedat,

Enantioma XXIX.

LOcus est apud Galenum in primo de prænotione ex pulsibus paulo ĩtricatior, sic mihi quidem visus, dum eũ primo statim ingressu percurrerem,

percurrerem, ſpeciemq́ mihi ob oculos repugnantiæ cuiuſdam obijceret euidẽtem. Qui ne remoram faciat tyrunculis, age ſanè nõ grauemur hoc loco adſcribere totum: οὐ μὴν εὑρεῖν γε ἀκριβῶς ἐστὶ μόνην εἰς τάχος καὶ βραδυτῆτα μεταβολὴν, οὔτ' ἐν τοῖς κατὰ φύσιν, οὔτ' ἐν τοῖς οὐ κατὰ φύσιν ἔχουσι σώμασιν. ὁ γὰρ θερμότερος τῆς ἁπλῶς συμμέτρου κράσεως εἰ θάττονα φαίνοιτο τὸν σφυγμὸν ἔχων, ἐξ ἀνάγκης αὐτὸν ἔχει μείζονα, ὅ τε τοῦ κατὰ φύσιν ἑαυτοῦ σφυγμοῦ κατὰ τινὰ καιρὸν ἔχων θάττονα, καὶ μείζονα πάντως ἔχει, οὐ μὴν πυκνότερόν γε οὐδέτερος αὐτῶν ἐξ ἀνάγκης. ἐν γὰρ τῷ παραύξεσθαι τὴν θερμασίαν ἐπὶ πλέον, ἡ πυκνότης αὐτοῦ προσγίγνεται. τῷ τάχει τοίνυν ἐνίοτε μὲν καὶ τὸ μέγεθος, ἐστὶν δ' ὅτε καὶ ἡ πυκνότης σύνεστι, ὥσπερ αὖ πάλιν ἐνίοτε πυκνότης μόνον. i. Cæterum mutationem ad velocitatem & tarditatem nõ ſanè exactam ſolam inuenias, neq́ in corporibus, quæ ſecundum naturã ſe habent, neq́ vero in ijs quę non ſecundum naturam. Etenim qui commoderato ſimpliciter tẽperamento calidior eſt, is ſi pulſum habere videatur velociorẽ, neceſſario maiorem quoq́ habuerit, & qui aliquo tempore pulſum hahuerit naturali ſuo velociorem, prorſus eundem maiorem quoq́ obtinet: neuter tamen horum neceſſario frequens quoq́ fuerit, frequentia nanq́ quum plurimum adaugeſcit calor, accedit. Cum velocitate igitur vna interdum magnitudo, interdum frequentia quoq́ adeſt, ſicuti rurſus frequentia interdum ſola. Quis non quæſo ſuſpicetur apertiſſimam eſſe

in verbis his repugnantiam? quum prius velocitatem necessario sequi magnitudinem affirmet, deinde fieri aliquādo posse dicat, vt frequētia sola velocitatem comitetur, vt in pulsus eleuatione accidit, quantum fieri potest maxima, vbi si noua accesserit velocitas, frequētia quoq; accedit, quum magnitudo nō possit: quo fit vt dictum prius de ijs tātum accipi debeat, in quibus pulsus eleuatio non omnium maxima sit. Quapropter significanter, opinor, prorsus corporum meminit naturaliter se, aut certe nō naturaliter habentium, in quibus primus veluti recessus est à naturali habitu, quo casu velocitatem semper magnitudo sequatur, vt in quibus pulsus διαστολὴ illa nondum incrementum suscepisse omnium maximum queat. At in ijs quæ præternaturaliter se habent, iam fieri potest aliquādo, vt magnitudo accedere possit nulla, frequentia possit: sic fit vt recte inspicienti controuersiæ suspicio omnis abeat.

Qui fieri possit, vt functionum bipertita aliquando esse ratio possit, facultatum autem quę functionum ipsarum causæ sint, tripertita: quā plane rationē videri possit secut⁹ Galenus ipse,

Enantioma XXX.

Libri sunt de placitis Hippocratis & Platonis, in quibus Galenus ex professo magna in parte eorum apertissimum facit, tres esse ani

mæ facultates, ſiue virtutes, cum functionibus vna ſuis: idq; obiter licet nono etiam therapeutices methodi libro, libenter agnoſcit, at idem in de ſymptomatum differentia libro, & de horum ipſorum cauſis primo, duplicem tãtum ſtatuit facultatem, animalem, & naturalem. διττῶν δ' οὐσῶν κατὰ γένος ἐνεργειῶν, τῶν μὲν φυσικῶν, τῶν δὲ ψυχικῶν. i. Quum igitur duæ ſint generaliter functiones, & hæ quidem ſint naturales, illę vero animales. Et deinde quũ naturaliũ actionum ſymptomata recenſet, poſtremo ſic ait: ἀσφυξίαι δὲ καὶ κακοσφυξίαι περὶ τὴν τῶν σφυγμῶν ἐνέργειαν συμπτώματα εἰσί. hoc eſt, Pulſus autẽ priuatio & vitiũ, pulſandi actionis ſymptomata ſunt. Hoc enim loco inter naturales functiones numerat pulſus ἐνέργειαν, id quamobrẽ factum ſit ſi quis diligẽtius examinauerit, videbit non omnino abs re factum, quum medicus ſanitatem ſemper præ oculis habeat, quam aut præſentem tueatur, aut amiſſam reſarciat. Porrò autem hæc in functionum ſemper integritate verſetur, eædem certe conſyderandæ ſemper venient medico primo quidem ac per ſe. Nam vitæ ratio in ſanitatis cõſeruatione perinde medico eſt, ac quæ ſanitatem ſequatur, in morbis vero dimouendis quæ curationis ſcopis nõ repugnet. Octauo enim therapeutices ſic ait: ἐν δ' ἀμφοτέραις αὐταῖς κοινὸν ἡ φυλακὴ τῆς ζωῆς, ἐπὶ μὲν τῆς ὑγιεινῆς πραγματείας ἑπομένη τῇ φυλακῇ τῆς ὑγείας. ὃ γὰρ ἂν ὑγείας ἕνεκα πράττοιτο, τοῦτ' εὐθέως ἐστὶ καὶ τῆς ζωῆς φυλακτικόν. ἐπὶ δὲ τῆς θερα

πευτικῆς οὐκέτι διὰ τὸ τὰ λυτικὰ τῶν παρὰ φύσιν ἐν ἡμῖν διαθέσεων οὐκ ἐξ ἅπαντος φυλάττειν τὴν ζωὴν.i. Vtriq́ autem commune est vitæ conseruatio, quæ in sanitatis quidem tutela sanitatem ipsam custoditam sequatur. Quicquid enim sanitatis causa molimur, cõtinuo idipsum fuerit vitæ quoq́ conseruans: at in medendi methodo non item, propterea q̄ non omnia quę affectus nostros soluunt, vitã quoq́ custodiãt. Ideoq́ non absurde contendebant quidam, tametsi omnium certe maxime habẽda ratio sit virtutis vitæq́, eandem tamen inter curandi scopos minime esse recẽsendam. Sic enim deinde scribit: πρῶτος μὲν οὖν ἁπάντων σκοπὸς ὁ τῆς δυνάμεως ἐστὶν, οὐ μὲν ὡς θεραπευτικός γε πρῶτος, ὅς γε τὴν ἀρχὴν οὐδὲ τῶν θεραπευτικῶν ἐστὶν, ἀλλ᾽ ὡς ἂν εἴποι τὶς τῶν ζωτικῶν. οὐ γὰρ ἵν᾽ ὑγιαίνωμεν, οὐδ᾽ ἵν᾽ ἀπαλλαγῶμεν νόσων ἐξ αὐτῆς τὶ πρῶτος λαμβάνομεν, ἀλλ᾽ ἵνα ζῶμεν.i. Primus igitur omnium virtutis scopus est, at non curatiuus tamẽ primus, quippe qui ne inter curatiuos quidem omnino numeretur, sed ĩter vitales, vt ita dicam: ex hac enim non quo sani simus, aut à morbis liberemur, primo quicquã sumimus, sed vt viuamus.

Ergo quum hæc ita habeant, semperq́ functiones principalius consideret medicus, ac primo spectet, quas integras conseruatas assidue cupit, vt in quibus sanitas cõseruetur integris, sicut morbus, lęsis: nihil sane mirum si in libris Galenus de differẽtijs & causis symptomatum qui ad therapeuticen parantur, functionum po

tius diuiſionem fecerit, q̃ꝫ virtutū, quæ functio num cauſæ ſunt, ſubinde verbum ἐνέργειαν inculcans. Functiones porro hę prima diuiſione recte in animales & naturales diuidentur, atqꝫ ſub has deducet̃ functio σφυγμικὴ, quæ pulſatitis eſt cordis, quam medicus non primario quidem cōſiderat vt vitalem, ſed vt cordis functionem, vti diximus, pulſatilem, quam aut rectam tueatur, aut emendet vitiatam: ſiquidē vel ægri ipſi, ſi qui medicum adeunt conſulendum, primo remedia morbi quærunt, ſcilicet non ignorantes dimotis his ſanitatem ſe ſuam recuperaturos ſtatim. Sic itaqꝫ in libris de placitis Hippocratis & Platonis, vbi curatio nulla, aut morborum ex profeſſo mentio, vitalem vt habet facultatem ab animali & naturali ſeiūxit. Porro idem nono therapeutices methodi viſus eſt feciſſe, non illa quidem vt aliquid ad curationem faciat, ſed vt quæ remedijs adhibendis interdū ſubſcribat interdum aduerſetur: ī libris autem de ſymptomatum tum differentia tum cauſis, vbi functiones diuidit, hanc cum naturali recēſet, q̄ longius ab animali diſtet ob volūtarium motū, eademq̄ꝫ ſit vtriuſqꝫ tractandi ratio, quātum quidem ad ſymptomata pertinet recenſenda. Neqꝫ tamen ea in libris illis enumerat, vt q̄ fuſius tractentur in libris de pulſibus, tum vero de differentijs febrium: alioqui cui propoſitum etiam minime eſſet in libris de ſymptomatis omnia pertractare. Sic enim ait: ὡς γὰρ κἀν τοῖς ἔμπροσθεν εἶπον, οὐχ ὑπὲρ τοῦ πάντα τὰ κατὰ μέρος

ἐπελθεῖν, ἀλλ᾽ ἕνεκα τοῦ γυμνάσαι τοὺς φιλομαθεῖς ἐπὶ πλειόνων παραδειγμάτων εἰς πολλὰ συμπτωμάτων εἴδητε, καὶ γένη τὸν λόγον ἤγαγον. i. Etenim ſicuti antea quoq; diximus, non ſane quo cuncta particulatim tractaremus per varia ſymptomatum genera, ac ſpecies orationē deduximus, verum vt rei hui⁹ ſtudioſos exerceremus exemplis compluribus.

Iecur corripi œdemate non poteſt, adfectu œdematoſo poteſt, ſic fit vt cohęreant hęc duo.

Enantioma XXXI.

SIcuti morborum genera quędam ſunt, quę has illas'ue partes potiſſimum infeſtent, ſic quædam rurſus habentur, quæ quibuſdam accidere minime poſſint. Iecur ſcirrhoſis ī primis affectibus obnoxium reperitur, at idem non temere admiſerit œdema. In hūc quidem de hoc modum pronuntiabat Galenus quarto de prænotione ex pulſib⁹ libro: διότι μὴ δ᾽ ἐπιγίγνεται ποτὲ τοῖς ὀργάνοις τούτοις οἴδημα φλεγματικόν. ὁ μὲν γὰρ θώραξ πυκνότερος ἢ ὥστε δέξασθαι τοιοῦτο ῥεῦμα, τὸ δ᾽ ἧπαρ οὐ πυκνότερον μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ συμφύτῳ δυνάμει ῥαδίως ἀλλοιοῖ τὸ φλέγμα. i. Propterea ꝙ nec ſuperuenit quidem vnquā inſtrumentis his œdema pituitoſum, ſiquidē thorax denſior eſt ꝗ̃ vt fluxionem ſuſcipiat huiuſmodi: at iecur non modo denſius, verum etiam natiua facultate ſua facile pituitam ipſam con-

fecerit. Sic nunquam œdema perpetietur iecur, vt interim tamen corripi œdematoſo adfectu aliquo queat, qui lõge alius a ſuperiore, ac diuerſus prorſus adfectus ſit: quãdoquidẽ œdema quale p̃ſertim rettulit Galenus pituitoſum ſcilicet, ſimplex per ſe, ſyncerusq; adfectus eſt, ex ſola conſtans pituita: adfectus vero œdematoſus nõnihil quidẽ ille habuerit pituitę quoq;, maiore tamẽ humoris alterius cuiuſdam exceſſu cõſtiterit. Siquidem & phlegmone eſſe œdematoſa poteſt, in qua tamẽ maior ſanguinis fuerit copia: & eryſipelas itidem œdematoſum in quo bilis vis maior: vtrobiq; tñ adfectus œdematoſus conſtiterit, ſicuti œdema minime certe. Nã nec œdema ſimplex quidem fuerit phlegmonoſum, aut eryſipelatoſum œdema, in quo tamen maior pituitæ copia ineſt: ideoq; expreſſe hoc loco additum verbum φλεγματικὸν. i. pituitoſum, quo tũ œdema phlegmonoſum, aut eryſipelatoſum, vbi maior pituitę vis, tum œdematoſa phlegmõe, & œdematoſum eryſipelas, vbi minor prorſum ex ſentẽtia hac reijceretur, ne quis forte diſſentire ab his verba illa exiſtimet, quæ libro eodem paulo poſt ita habent: τοῖς δ' ἐπὶ ἐγκεφάλῳ τε καὶ πνεύμονι μαλακὸς ὁμοίως οὐδείς, ἐγγυτέρω δὲ τῶν ἄλλων ὁ ἐφ' ἥπατι καὶ σπληνὶ κατὰ τὰς οἰδηματώδεις διαθέσεις. i. Pulſibus cerebri ac pulmonum mollibus, ęq; mollis nullus reperitur: propius tamẽ alijs accedit pulſus affectuum œdematoſorum iecoris ac lienis.

Salita quomodo ſenibus cōueniant, quomodo item non conueniant,

Enantioma XXXII.

IN victus ratione quā ſenibus præſcribit Galenus, quinto de tuenda ſanitate libro prius ita ait: τὰ δὲ ταριχευθέντα πάντα τῶν προσφάτων ἀμείνω. i. Præſtant autem ſalita omnia recentibus. Nec multo tamē poſt in progreſſu libri eos damnat, qui in ſenum victu præponebant κρεῶν τὰ τῶν ἀγρίων ζώων μᾶλλον, ἢ τὰ τῶν ἡμέρων, καὶ τὰ ταριχηρὰ τῶν προσφάτων. i. Syluestriū animalium carnes domeſticis, ſalitas recentibus.

Diluitur totum facile ex ijs quæ ſequuntur, quo loco de clyſteriū vſu pertractat in ſenibus: ἀλλ᾽ οὐδὲ ταῦτα τοῦ γέροντος, ᾗ γέρων ἐστὶν ἴδια. καὶ γὰρ τοῖς ἐκ νοσημάτων μακρῶν ἀνακομιζομένοις συμφέρει. τί τοίνυν ἴδιον ἐστὶ τοῦ γέροντος, ᾗ γέρων ἐστὶ, τὸ τῇ κράσει συμφέρον. i. Sed neq; hæc tamē ſenis, quatenus ſenex propria ſunt, nā & ijs conueniūt qui ſeſe ex morbis longis reficiūt. Quid igitur ſenis propriū fuerit, qua ſenex? id quod ad temperamentum illorum faciat. Faciunt porro, ſicuti manifeſto fatentur omnes, calida & humida, quo plane nomine ſalitæ carnes dānentur. Nam q eædem humorem minime glutinoſum, craſſumq; progignant, ideoq; præſtēt ne facile obducantur meatus, hactenus certe iuuerint, ad quem ſane vſum commendantur a Galeno. Sic fit vt per ſe obſint, proſint ex acci-

denti, proinde poſt perceptũ ſtatim ex his vſum huiuſmodi in ſenibus, conſulamus pręcipit his primo quoq; tempore, ad humidioris alicuius victus rationem recurſu.

In vlcerum curatione quam pro temperamẽti ratione exiccatoriam in omnibus ſtatuunt, eximuntur ſenes quibuſdã de cauſis: quod quũ ſecũdum Galeni placita fiat, diſcors propterea dici non debetur,

Enantioma XXXIII.

VLcera quum omnia exiccari poſtulent, vt in cõfeſſo apud omnes eſt, eadem ſi in ſiccis corporibus conſtiterint, exiccãtia etiamnũ magis, quã ſi in humidis fuerint, admittunt & validiora: id enim latiſſime ac clariſſime demonſtratur in therapeuticis. Hanc certe ob rem ſenum vlceribus, vt qui temperamẽto ſicco ſint, valentius exiccantia commoda magis fuerint. Sed accipe quomodo primo ſtatim de compoſitione medicamentorum ſec. gene. libro cũ pueris, quantũ quidem ad rem hanc attinet, & mulieribus connumerentur, in quibus nemo certe neſcit, longe ſemper minus exiccantia conuenire. Sic enim ſcribit: θεραπεύειν μὲν οὖν λέγων τὸ φάρμακον τοῦτο γερόντων ἕλκη, καὶ ἁπαλοχρώτων ἀληθεύει. i. Medicamentũ hoc qđ ſenum, & molli carne præditorũ vlcera ſanet, verum teſtatur. Et paulo poſt: ἀλλ' ἐπὶ μετρίων τῷ μεγέθει, τοῦ

τῶν τῶν παθῶν ἐν ἁπαλοχρῶσι, καὶ γυναιξὶ, καὶ παισὶ, καὶ γέρουσιν, ἀγαθὸν φάρμακον. i. Sed medicamentum in non admodum magnis affectibus his probatur, qui in molli carne præditis cõstiterint, & mulieribus, & pueris, & senibus. Id quod subinde locis aliquot repetat, vt hac quidem de causa existimare liceat, eodẽ esse senes temperamento, quo puer, quo mulier, postquã iisdem quoq; remediis curantur. Verum non ita se habet res, prçterq̃ ꝙ enim valida ĩ primis medicamenta, quod genus sunt quæ vehementer exiccant, nõ temere admittunt senes, vel ob solam virium imbecillitatem, etiam bonã semper humiditatis partem obtinent, quam quidẽ dimouere minime possimus, medicamentis tãtopere exiccantibus, validisq; quæ non ferunt. Nec sanè debemus senum corpora, quæ nõ ita seruare studemus, vtpote extra sanitatis iam cãpum constituta, certe neutra, sed calidis subinde & humidis fouemus, cibo, potu, breuiter ratione vict⁹ omni ita tractare, quamuis sicca, vt corpora solemus sicca, quibus conseruandæ natiuæ temperaturæ, eandem præscribim⁹ victus rationem, vti iam quemadmodum senum semper siccitatem humido vsu attemperamus. Sic liceat in vlceribus quoq; rei huiusce habere rationem, nimirũ non tantopere exiccandi, quãtopere illorum alioqui temperamentum exposcere videatur: idem enim vtrunq; indicat. Ad hæc spectetur consuetudo, quam ipsam negligere non debemus: huius certe gratia, nonne

quum ea in ſenibus in calidorum atque humidorum vſum ceſſerit, etiam in vlcerib9 eorum minus exiccantia adhibebimus? His igitur de cauſis vel omnibus vel ſingulis, quantum ad vlcerum attinet curationem, cum pueris vna omnino ac mulierib9 cenſeantur ſenes, ſanè eodem modo ac non diuerſas planè ob cauſas, ſenem ardenti in primis febre correptum, non refrigerabimus quãtum temperamenti ratio expoſtularit, tametſi hoc caſu longius à temperatura ſua exceſſerit ſenex, quàm aut puer aut iuuẽis, morbo eodem correpti: ſcilicet nec imbecillitas ferret refrigerationem tantam, nec cõſuetudo. Et alioqui quos excalfactos ſemper modice cupimus potius, quorum attinet hos plus iuſto refrigerare, etiam ſi videatur ita exigere temperamẽtum? quod tamen non faciat, quandoquidem demere ĩ his de ſiccitate & frigiditate ſtudem9, vti diximus, non autem qualitates has adſeruare, ſicuti ſolemus quum temperaturas quamuis vitioſas immutare non licet. Conſuetudinis autem quanta ſit vis, non illius ſolum quæ temporis tractu aliquo, quaſi in habitudinem abierit, de qua octauo & nono therapeutices methodo ex profeſſo tractetur, ac perſæpe alibi: verũetiã eius quæ diebus pluſculis vſurpata fuerit, vt nõdum partis naturam immutare potuiſſe credatᷣ, petamus exemplum licet ex quinto therapeutices methodo quo loco vlceris aurium curationem pertractat aduerſus Theſſalicũ illum, qui quum ſubeſſe phlegmonem ĩ meatu auditorio

existimaret, ac relaxantibus vteretur quæq; nihil minus q̃ exiccarēt, essetq; inibi vlcus quod vt in particula siccissima, exiccantissimis etiam remedijs curandum esset: noluerit tamen Galenus medicamenta inter initia statim adhibere huiusmodi, sed paulatim id potius sensimq; fecerit, quasiq; ἐκ προσαγωγῆς ob solam dierū paucorum cōsuetudinem illam, quā autem Thessalicus pessime tractauerat. νυνὶ δ᾽, ait, ἐπειδὴ κακὸν ἔθος εἴθασας τὰ μόρια πλείοσιν ἡμέραις, ἐπὶ τοὐναντίον αὖ πάλιν μετάγειν ἀθρόως οὐκ ἔτ᾽ ἐγχωρεῖ. i. Nūc autem postquam prauam induxisti consuetudinem particulæ diebus pluribus, vt ad contrariū eam affatim traducamus, non sanè licuerit. Partem quę siccari valenter in primis postulet, non est ausus siccare statim Galenus, veritus cōsuetudinem quamuis prauam, nec sanè diuturni tēporis. Nā tametsi plusculos fuisse thessalicæ curationis illius dies testetur, par est tamen sic plures fuisse ab eo dictos credamus, vt ī morbis his solemus, vbi dierum quindecim spatiū, viginti'ue circiterq;, merito plures appellare dies possumus.

In aurium phlegmone non temere adhibeas medicamenta magnopere exiccantia, aut alioqui vehementia, quæ tamen tuto interim vlceribus partium earundem admoueantur.

Enantioma XXXIIII.

ADmonet me locus hic loci alteri⁹ de auriū vlceribus, qui videri possit indiscussus reli-

ctus a' Galeno libro tertio de cõpositione medi
camentorum secũdũ locos. Quum enim prius
præcepisset summa cum diligentia attrectãdas
esse aures cauẽdumq; semper, vt ipse ait, ὡς οἷόν
τε μηδ' ἄλλου τινὸς βάρου, τοῦ ὠτὸς ἅπτεσθαι, καὶ
τούτῳ γε πρόσεχε τὸν νοῦν, ὡς μεγίστῳ παραγγέλ-
ματι τῆς τῶν ὤτων ἐπιμελείας. i. Quoad eius fieri
potest, ne quid aliud põderis attingat aurem sa-
ne' adhibeto rei huic mentem, tanquam præce
pto omnium maximo. Tractandis diligẽter
auribus atqui versib⁹ aliquot post: νικομένων δὲ
τούτων, inquit, σκωρίαν σιδήρου μετ' ὄξους δριμυτά-
του λειώσας ἐπὶ πλεῖστον, πολλαῖς ἡμέραις ἐν ἡλίῳ
θαῤῥῶν χρῶ, εἰ καὶ παράλογον εἶναι δοκεῖ τῶν δριμυ
τάτων φαρμάκων ἀνέχεσθαι τὸ οὖς. ὃ μικρὸν ἔμπρο-
σθεν εἶπον οὐδὲν τῶν μαλακωτάτων ἐγχεομένων ἀ-
λύπως ὑπομένειν τὴν πρόσπτωσιν, ἀλλὰ καὶ ταῦτα
φαίνεσθαι πλήττοντα. i. Quod si hæc quoq; reme
dia vincantur recremento ferri vtere audacter,
cũ aceto ad solem omniũ acerrimo diebus com
pluribus læuissime trito, etsi absurdum esse vi-
deatur, vt auris fortissima ferat medicamenta,
quam paulo ante affirmaueram ne omniũ qui-
dem mollissima, si instillẽtur, admota ferre pos-
se citra noxam, sed ex his quoq; sentire adpul-
sum. Sed aliud profecto fuerit phlegmonen
curare, quod prius facit, & aurium vlcera tracta
re, quod post. In phlegmone enim vtpote adfe-
ctu, humorum maxime adfluxu cõstante, tumo
req; præternaturali, calido in primis & dolorifi
co, ac partium extensione, timenda certe multa

non immerito ſint, vicinarumq; in primis par-
tium conſenſus cũ caloris tum doloris, vt haud
ſane difficulter excitari febris inde queat, & cõ
uulſio ſequi. Quæ mala non perinde formida-
re debeamus in vlceribus aurium, vlceribus di-
co ſolum vbi ſola continuitatis ſolutio, quo ca
ſu vt dolor aliquis ſit ob neruum, qui illuc ad
auditorium meatum pertingit, certe materiam
nullam habet, aut putrefactionẽ qualem phleg
mone. Eadem omnino ratione durior etiã mẽ-
brana ambiens cerebrum, ſi phlegmone aliquo
pacto tentetur, quantum inde diſcriminis timẽ
dũ ſit, nullus eſt qui ignorat: at eadem validiſſi-
ma quoq; remedia admittit, atteſtãte felici Me
getis atq; Eudemi ſucceſſu, vt in fine ſexti the-
rapeutices libri quo ex loco colligas rei hui9 di-
ſcrimen, quale nos rettulimus. Durã enim hãc
membranam meatus auditorij exemplo, vali-
da in primis ferre poſſe medicamenta ait, addi-
to eo πρὶν ἀξιολόγως φλεγμῆναι. i. antequã phleg
mone corripiatur manifeſta. Atq; idem tamen
explicatius ante aperuerat, libro therap. quin-
to his verbis: ἐὰν οὖν εἴπον ἄλλοτι φάρμακον οὐκ
ὀλίγῳ τῷ ἀνδρωνείου σφοδρότερον ὄξει τὶς δριμυτά-
τῳ διεὶς χρήσεται, καὶ ταῦτ᾽ εἰς οὖς, ἐγγὺς οὕτω μό-
ριον ἐγκεφάλου, καὶ μηνίγγων. ἆρ᾽ οὐκ ὄντως σπαθή-
σεται κατὰ τὸν σὸν λόγον, εἴπερ γε φλεγμονή τὶς ὑ-
πόκειται, ταῦτ᾽ ἐδόκει κᾀκείνῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς
συμπαροῦσιν ἀληθῶς εἰρῆσθαι. i. Si quis igitur in-
quam, medicamẽtum etiã Andronici illo val-
de potentius, omnium maxime acri aceto dilu-

to vtatur, idq; ad aurē partē cerebro vsq; adeo, ac membranis propinquam, nonne conuulsio sequetur iure meritoq;, vt tua quidē fert ratio, siquidem phlegmone aliqua sit? Visa sunt hęc illi alijsq; qui tum aderāt, vere dici. Ac fallebatur quidem ille opinione sua, non enim erat phlegmone, sed vlcus potius. Quod si subesset phlegmone, par certe fuerat correptum conuulsione statim iri ægrotum medicamentorū vsq; eo vehementium vsu. Differentiam porro hāc explicuit in therapeuticis, vbi methodus tradebatur, quam subticuit in de compositione per loca, vt in quo aliud quiddam moliatur, cōponendorum scilicet medicamentorum secundū loca rationem.

Bipertitam esse correptelæ humorum tollendæ rationem euacuatione, at contemperamento, vt mirum non sit pro Hippocratis locorum diuersitate, diuersimode quoq; tractari hanc à Galeno,

Enantioma XXXV.

HIppocratis aphorismo, qui ita scribitur, sectione secunda: Impura corpora quanto magis nutries, tāto magis lædes. subscribit Galenus ibidem in hæc verba: συνδιαφθείρεται γὰρ ἡ ἐπεισιοῦσα τροφὴ τῇ προυπαρχούσῃ κατὰ τὸ σῶμα κακοχυμίᾳ, ὥστ' αὐξάνεσθαι μὲν αὐτῆς τὴν ποσότητα, φυλάττεσθαι δὲ τὴν ποιότητα. i. Etenim inie-

ctum alimentum cum humore vna prauo corrumpitur, qui prius in corpore inerat, sic vt huius adaugeatur quidem quantitas, seruetur autẽ interea qualitas. Ergo corruptis humoribus minime debetur cibus, hac quidẽ ratione. Quę sententia nequaquam cohærere videtur cũ ea, quam super re hac protulerat secto priore, dum aphorismum exponeret: Et quibus semel aut bis &c. vbi prolixe atq; adeo asseueranter ĩ humorum semper corruptela, large ac liberaliter prorsus nutrit, ita nanq; docet affectum hũc exigere, vti ex hoc copiosioris assidue alimenti indicatio sumatur. Cuius plane scirpi explicatio, quantum ego videre possum, non aliunde peti commodior possit, q̃ ex secundo de temperamentis medicamẽtorum simplicium libro, vbi oleum docet, quo pacto dolorem quidem per se mitiget, licet aliter aliquando eueniat ob diuersam rationem. ἕκασον γὰρ, inquit, τῶν ἐπικεραννύντων φαρμάκων ἰχυρώτερον γιγνόμενον τῶν δακνόντων χυμῶν ἀμβλύνει τὴν δῆξιν αὐτῶν, ἀλλ' ἐὰν ἰχυρωτέραις ταῖς δυνάμεσιν, ἢ πολλαῖς ὀλίγον ἀναμιχθῇ, συνδιαφθείρεταί τε καὶ τρέφει τὴν κακοχυμίαν, ὅθεν καὶ κενοῦν δεῖ παραχρῆμα τοὺς ἐκ τῶν ἐπικεραστικῶν παροξυνομένους, ὡς ἂν πολλῆς καὶ δυσκινήτου διαφθορᾶς πεπληρωμένους. i. Medicamentorum enim vnumquodq; cõtemperans, quod quidem vellicantibus humoribus validius sit, horum ipsorum vellicatum retuderit. Quod si potentioribus eorũ facultatibus aut multis paucum admisceatur, vna in corruptelam abit, succorumq;

corumq́ prauitatem alit: quãobrem confestim euacuare expediat, si qui contemperantiũ medicamentorum vsu deteriores euadunt, nimirũ multæ, quæq́ ægre dimoueri loco possit corruptelæ plenos. Itaq́ bifariam affectui huic medebimur, euacuatione, & contemperatione: & euacuatione quidem quum vinci contemperamento non poterit, quam viam insistat secũdo aphorismorum secto, vbi hoc casu Hippocrates euacuationem molitur. Nam si, inquit, cibũ nõ assumenti hoc accidat, scire licet euacuationem necessariã esse: corpora enim impura quãto magis nutries, tanto magis læseris. Secto vero priore vbi fere victus ratio instituit ab Hippocrate, ex hac quoq́ Galenus remedium affectui huic accommodat, quale debet, nempe cõtemperamentum cibi largioris vsu quæsitum, in corruptela scilicet quæ ad temperamentum deduci alimẽti melioris copia possit, quam vel affatim exhibeas sic ferente virium robore, vel pluries eandem, siquidem vires imbecilliores fuerint. Id quod alias quoq́ verum esse reperit, vsq́ eo, vt credam hac quoq́ in primis de causa in pestilentibus febribus, aut alioqui malignis præcipi alimenti exhibitionem vberioris, eo ꝙ insignis illa humorum corruptio, quæ in febribus id genus, putrefactioni tam grandi inest, facile hoc quoq́ pacto mitior reddatur, ac veluti contemperetur. Estq́ hoc cõtemperamenti genus, sed & illo præterea modo cõtemperare dicimur, quum virium imbecillitate sic poscẽte,

noxij humoris corruptiq́ꝫ partim euacuamus, partim pro hoc meliorē reponim⁹, ꝙ ſic quoq́ꝫ minor factus corruptus humor facili⁹ potioris additamento contemperatus vincatur. Quod octauo therapeutices declaratur verbis his: χρὴ γὰρ δηλονότι κατὰ τὰς τοιαύτας ἐναντιώσεις τῶν ἐνδείξεων, κατὰ βραχὺ μὲν ἐκκενοῦν τὸ μοχθηρὸν, καὶ κατὰ βραχὺ δ' ἀντ' αὐτοῦ τὸ χρηστὸν ἐντιθέναι. καλεῖται δ' ἐπίκρασις ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ἡ τοιαύτη θεραπεία τῆς κακοχυμίας. i. Expedit nanq́ꝫ pugnantibus ad hunc modū inter ſe indicationibus, paulatim quidem euacuare quod praui ineſt, paulatim vero pro hoc quod probum fuerit, reponere: vocant medici cōtemperamentum, curationem huiuſmodi ſuccorum vitioſorum.

Quomodo accipienda Galeni verba quædā ſint octauo therapeutices libro, ne forte oblitū coarguant autorem hunc, ſententię propriæ de veris temperatura tam receptæ,

Enantiona XXXVI.

LEgas apud Galenum quædam ex octauo therapeutices methodo libro, quę facere ſuſpitionem poſſint autorem eundem exiſtimaſſe, ver calidum eſſe & humidum, cōtra decreta ſua tam exacte, prolixeq́ꝫ deciſa in libris de temperaturis, quo loco veris, argumētis multis colligit temperamentum temperatum prorſus. Ea ſunt huiuſmodi: οὕτω δὲ καὶ ὅστις εὔχυμος φύσει

χωρίον εὔκρατον οἰκῶν εἰς ἕτερον χωρίον ὑγρὸν, καὶ θερμὸν ἐν ἦρι μετέλθοι, καταστάσεως οὔσης θερμῆς καὶ ὑγρᾶς, ἅπαντά τε τὰ διαιτήματα θερμὰ, καὶ ὑγρὰ ποιήσαιτο, καὶ οὗτος ὁμοίως τῷ φύσει σηπεδονώδει, τοῖς τ' ἄλλοις ἁλώσεται νοσήμασιν. i. Sic porrò si quis succorum bonitate præditus, regionemq; temperatam inhabitans, conferat se in aliam regionem calidam & humidam veris tẽpore, fueritq; anni cõstitutio calida & humida, victusq; rationem omnem calidam & humidã instituat, is nõ dissimili planè modo atq; alius, qui natura putredini obnoxius sit non alijs corripietur morbis, tñ &c. Quasi ver calidum & humidum sit, sic visus est id inter ea quæ dubio procul calida & humida habentur cõnumerasse. Nam quũ ea hoc loco recenseat, quibus reddi calidius & humidius possit commoderatum temperamentum, verisq; meminerit, certe vt talis quoq; meminisse videri potest, quod caliditatem & humiditatem largiatur de suo: veruntamen non ita fuerit censendum. Neq; enim vt talis meminit Galenus veris hoc loco, sed vt anni temporis, in quo quanquam moderatum id sit, consistere tamen facilius quam in alijs possit cœli status calidior & humidior. Etenim ver tẽperatum licet sit, attamen si pauxillum addatur caloris humorisq;, facile abierit in intemperamentum: æstas porrò bene humida sit oportet vt talis euadat, sicuti Hyems calida, nã autumnus à temperatura hac diametro distat. Quod igitur inter anni tẽpora paratius calori, humo-

riç suscipiendo visum fuit, cæterisq́ magis ad qualitates has accedit, quamuis hactenus temperatum sit, huius non inepte meminit hoc loco, ideoq́ quũ reliqua omnia caliditatis & humiditatis nomine appellasset, regionẽ, cœli statum, victus rationem omnem, non itidem tempus anni calidum & humidum dixit, id profecto eodem modo sicut in cæteris fecerat, facturus hic quoq́, si veris tempus arbitratus esset tẽperamento hoc constare. Sed ἐνῆρι tantum μετέλθοι dixit, hoc est, vere, vel veris tempore, eo, ni fallor, verbi huius intellectu, quẽ attulimus.

Magnitudinis morborum notatæ differentiæ quædam, & compositi loci super re hac diuersi, quibus non sane multum conuenire inter se videri possit,

Enantioma XXXVII.

MAgnitudinem rei tria cõstituunt septimo therapeutices methodo: ἐστὶ δὲ τρία μεγέθη, τὸ μέν τι κατὰ τὸ τῆς βεβλαμμένης ἐνεργείας ἀξίωμα, τὸ δέ τι κατὰ τὴν οἰκείαν οὐσίαν τῆς διαθέσεως, καὶ τρίτον ἐπὶ τοῖς δὲ τὸ πρὸς τὴν διοικοῦσαν τὸ βεβλαμμένον σῶμα δύναμιν. i. Triplex igitur est magnitudo, quædam penes functionis oblęsæ dignitatem, quædam penes substantiam affectus propriam, tertiaq́ ad hæc quæ ad facultatem refertur vitiatum corpus gubernantem. Atqui duplicem tãtum agnouisse visus est ma-

gnitudinem octauo therapeutices sic inquiēs: σκοπεῖσθαι δὲ ἐπὶ τῶν ἐναντίων ἐνδείξεων οὐδὲν οὕτω προσήκεν, ὡς τὸ μέγεθος ἑκάστου τῶν συνεισφερόντων, ὅπερ ἐδείκνυμεν ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς ὑπομνήμασι διττόν. i. In cōtrarijs indicationibus nihil æque considerandum venit, ac magnitudo singulorum, quęcunque se ad rem conferunt, quam duplicem esse ostendimus in commentarijs de sanitate tuenda: ἕτερον μὲν αὐτοῖς τοῖς τῶν ἐνδεικνυμένων ἀξιώμασι μετρούμενον, ἕτερον δὲ ταῖς οἰκείαις αὐτῶν, ὡς ἂν εἴποι τὶς οὐσίαις, ἃς ἐκ τοῦ παραβάλλειν τῷ συμμέτρῳ τε, καὶ κατὰ φύσιν ἔφαμεν χρῆναι λαμβάνειν. i. Alteram quam ipsa indicantium rerum dignitate, alteram quam proprijs ipsorum, vt quispiam dixerit, substantijs metiare, quas sumere conueniat ex rei temperatæ, naturalisque collatione. Et item vndecimo therapeutices: αἱρεῖσθαι γὰρ ἐδείκνυμεν χρῆναι, τὰς ἀπὸ τῶν ἀξιολογωτέρων τε καὶ μειζόνων ἐνδείξεις σκοπῶν. ἀξίωμα μὲν οὖν αὐτῶν εἰς ζωὴν, ἢ ὑγείαν ἀποβλεπόντων κρίνεσθαι. μέγεθος δ᾽ εἶναι διττὸν, ἤτοι κατὰ τὴν οἰκείαν οὐσίαν, ἢ τὴν τοῦ κατὰ φύσιν ἐκτροπήν. i. Pręferendas esse ostendebamus indicationes digniorum maiorumque inter scopos, horū porro dignitatem siue axioma dijudicari vitæ sanitatisque respectu. Magnitudinem autem duplicē esse, vel secundum substantiam propriam, vel secundum excessum a naturali. Vides vt tertius quoque accesserit locus huc cōciliandus, plane discors & cui nec cum primo, neque vero cū secundo conueniat, vt qui axioma quod in se-

cundo inerat, videat à magnitudine se iũxisse. Non attinet hoc loco vocis μέγεθος significatum explicare, quod est quum quantitatem notamus continuam discretam'ue, nihil enim hic tale. Ergo considerentur tantum res, in quibus nulla, vt opinor, discrepantia: nam penes verba subsit certe aliqua, primum dignitas siue præstantia, (vt ita dicam) magnã facit rem hoc quidem in negotio, sicuti quum aut ventriculi intẽperaturam maiorem esse affectum dicemus, q̃ humores inibi redundantes, vt cuius maior habenda sit ratio: aut quum prętrahere febris dicimus indicationem cæteris, eandem scilicet ob rem, ꝙ hui⁹ quoq; maiorem semper rationem ducamus. Alius est magnitudinis modus, quũ humorum in ventriculo verbi gratia redundãtium copia maxima fuerit, eiusdem autem intẽperaturæ excessus non admodum magnus, hoc casu humorum copia vicerit, vt affectus appellari maior possit, sicuti etiam quũ indicationes sumptæ ab anni tempore, cœli statu, regione, ætate, temperamento, & id genus alijs, insignes vsq; adeo fuerint, ob excessum à mediocritate, vt febrem obscurent, siquidem modicam cõtingat esse hanc ac lenem quandam, quemadmodum si quando eueniat, vt ventriculi intemperatura illa longe magis à temperie recesserit, q̃ collecta sit humorum vis, aut febris intensissima fuerit: reliqua vero parum indicent, vt pote intra mediocritatem fere contenta. Iam vtrũq; calculum tulerint, febris atq; intemperatura, vt

quæ quum dignitate ſemper præſtent, nunc dici ſecundo etiã modo magna queant. Sane hãc magnitudinis bipertitam rationẽ libro quoq; vndecimo theurap. ſeruauerat, niſi vocũ ſignificata vertiſſet: priorem nanq; magnitudinem quæ κατ' ἀξίωμα illa erat, κατὰ τὴν οἰκεῖαν οὐσίαν hic appellat. i. Secundum propriam ſubſtantiã, quæ poſterioris erat magnitudinis deſcriptio. Poſteriorem porro hanc ſecundum exceſſum finit à re naturali, factumq; id crediderim ob fuſam ſubſtantiæ ſignificationem, quæ nõ inepte adaptari magnitudini vtriq; poſſit, ſimul vocem axioma abſumpſerat iam priore ſtatim verſu, vt nullum illi reſtaret deducẽdum in magnitudinem, quum ſcilicet decernendum præcipit axioma vita, ac ſanitate inſpecta. Atq; hoc iam eſt tertium illud magnitudinis ſignificatum, ſexti therapeutices addititium magis, & (vt ita dicam) aſſutum potius aliis q̃ connatum, rectius enim profecto axiomatis nomine notetur. Sic itaq; duplicem ſemper ſeruat his in locis magnitudinem Galenus, vocabulis licet variatis interdum. Tertium addit ſeptimo & vndecimo therapeutices, ſic exigente rerum tractatu, quas ibi explicat, ſed ſeptimo magnitudinem vocat, vndecimo axioma. Huius porro ſiue axiomatis, ſiue magnitudinis octauo therapeutices eo loci non meminit, propterea q̃ refrigerãdi tantummodo & humectandi indicationes enarrentur, vbi nullus per ſe magnitudini illi, ſiue axiomati locus.

In accessionis incremento nũ cibus exhibendus sit, aliquo casu: videtur enim controuersa res esse,

Enantioma XXXVIII.

QVi calido sunt vsq; adeo & sicco temperamento, vt si aut biduum ieiunari cogantur, aut contingat tristitia eos affici, aut noctes insomnes ducere, aut tale quippiam, continuo necesse sit febre corripi, hos possis intrepide cibo statim reficere, quo quasi retũdatur ariditas corporis, nec tam facile ignescere contingat calorem, idq; primo quoq; tempore ad prohibendam febrem, atq; etiam inter horrorem ipsum. εἰ δὲ ἡ μὲν φρίκη παύσοιτο, πυρέττοιεν δ᾽ ἤδη σαφῶς, μηκέτι τρέφειν αὐτοὺς ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, παρακμάζοντος δὲ τοῦ γενομένου παροξυσμοῦ τρέφειν αὐτίκα, μὴ περιμένων ἀπυρεξίαν. i. Quod si horrere cessauerint, iamq; manifesta febris adsit, non erit hoc tempore dandus cibus, qui tamẽ inclinante statim accessione exhibendus, non expectato donec prorsus recedat febris. Paulo tamen post etiam status meminit, & deinde eodẽ libro nempe decimo therapeutices, cuncta admittit accessionis tempora, quibus dare cibum possimus, hoc casu, sic scribens ad verbum: τούτους μὲν οὖν οὐδ᾽ ἐν ταῖς παρακμαῖς ἀβλαβῶς ἂν τρέφοις, μήτιγε δὴ κατὰ τὴν εἰσβολὴν τῶν παροξυσμῶν, τοὺς προειρημένους δὲ ἐν ἅπαντι μὲν καιρῷ, μάλιστα δ᾽ ἐν τῇ παρακμῇ. i. Hosce igitur ne si vel in

declinatione quidem nutrias, citra noxam id feceris, tantum abest vt id inchoante accessione facias: at memoratos iam omni quidem tēpore nutrieris, potissimum vero in declinatione. Dicendum si tempora inter se accessionis conferantur, casus illius vbi putredo nulla, præstabilius omnino esse declinationis tēpus, aut etiā sub ipsum statum, sicuti initij quandoq;, detracto tantummodo tempore, quod fere augumēti est: atq; idem tamen tempus, si cū accessione conferatur febris putredinosæ, aut vbi humorum plenitudo subsit, aut obstructio, aut phlegmone, longe præstātius esse ad nutriendum, q; vel pacatissimam putredinosæ accessionis horam, puta declinationem ipsam, vt respectu quidem huius nutrire possis, neq; tamē interim nutrias, propterea q; declinatio expectanda sit, in qua longe quoq; minor, q; in augmento subesse noxa deprehendatur.

Videntur putredinosi humores dici aliquādo posse, non qui putridi sint, sed quorum transitus ī putredinem facilis, vt dictorum tollatur dissidium,

Enantioma XXXIX.

SVnt eodē itidem therapeutices libro nonnulla, quæ paulum progresso ad medium, videri omnino dissona possint, sic enim scribit: ὅταν οὖν ὥς ἔλέγομεν, ἄνδυ σηπεδόνος καὶ χυμώδη σώ

ματι πυρέττειν συμβῇ, τὸ κεφάλαιον τῆς ἰάσεως ἐν τοῖς ὑγραίνουσι καὶ ψύχουσι βοηθήμασι τίθεσθαι χρή.i. Ergo quum contingat aridum corpus siue putredine, vti diximus, febricitare, curationis summa tota versetur necesse est in refrigerantibus atque humectantibus remedijs. At paulo tamen post hoc eodem casu quum remedium ex aere petit, frigidissimum hunc, quatenus quidem inspiratione trahitur, admitti posse ait: οὐ μὴν καθόσον ἔξωθέν γε ἅπτεται τοῦ κάμνοντος. πυκνοῖ γὰρ, καὶ συνάγει τὸ δέρμα, καὶ κωλύει τὰς ἀποῤῥοὰς διαπνεῖσθαι τῶν σηπεδονωδῶν χυμῶν.i. At nō quatenus extrinsecus ęgrotū attingit, vt qui cutem denset contrahatque, ac putredinosorum humorum effluxum diflari prohibeat. Humorum hoc loco putredinis meminit, manifesto contra prius supposita, atque eundem tamen interea affectum curat. Sic igitur arbitror putredinosos humores ab eo fuisse dictos, non qui putrefacti iam, sed qui putredini maxime obnoxij sint, paulo modo horum ipsorum transpiratione impeditiore, quod perquā facile fieri consuesse in huiuscemodi temperaturis, apertissimum est, vt in quibus quod diflatur acre sit, fumidumque ac fuliginosum. Neque tamen ignoro hecticam hanc febrem nonnunquam comitari solere, etiam quæ ex humorum putredine accendatur, sed quum hoc quidem loco hecticā tantum curet, non videtur mihi eo confugiendum. At enim dices eadem ratione prohibitū oportuit frigidæ quoque balneum, quod transpi

rationem impediat, cuius tamen euidentissimũ esse vsum hoc casu, atq; adeo necessarium, retro eodem libro demonstret. Sed quis non videat diuersimode prorsus vtrunq; fieri? quum balneum calidior semper huius ipsius pars præcedat, qua cum facile diflentur recrementitij humores, si qui sunt, tum vero necessarium frigidæ aquæ, cuius gratia omnia fiunt, vsum faciat. Quo excalfactæ partes ac præparatæ veluti cor roborentur, ac bene refrigerentur, idq; nullo, vt in frigidissimo aere, ne humorum perspiratio cohibeatur, timore. Iam aquæ quæ id præstare possit, balneo diflatos, cui⁹ nihil simile in frigidissimi aeris occursu.

Mittendi sanguinis scopi, nunc plures, nunc pauciores traditi à Galeno, reiq; huiusce reddita ratio.

Enantioma XL.

QVicunq; sanguinem mittunt, ij præter alios scopos, illum etiam habent quẽ perpendant, ambientis nos aeris caliditatem ac siccitatem, vt primo therapeuticων ad Glauconẽ libro: οἷον δὲ τὶ σύμπτωμα, καὶ τὴν τοῦ περιέχοντος ἀέρος ὑπολογιστέον κρᾶσιν, ὅταν γε ἀκριβῶς ᾖ θερμὴ καὶ ξηρὰ, καθάπερ ἐν τῷ μεταξὺ κυνὸς ἐπιτολῆς καὶ ἀρκτούρου. καὶ διὰ τοῦτο πάντες ἀπέθανον, ὧν οἱ μηδόλως ταῖς ὥραις προσέχοντες ἰατροὶ τὰς φλέβας τεμεῖν ἐθάῤῥησαν. i. Cuiusmodi quidem

symptoma etiam habendum sit, ambientis aeris temperamentum, quoties id exacte calidum & siccum fuerit, vt in medio caniculæ ortus & arcturi, atq; ob id sane interiere omnes, quibus sanguinem mittere ausi sunt medici, quicunq; anni temporis rationem ducunt nullam. Et paulo post: ταῦτ' ἄρα καὶ τῶν χωρίων οὔτ' ἐν τοῖς θερμοῖς ἄγαν, οὔτ' ἐν τοῖς ψυχροῖς αἵματος ἀφαιρέσει θαῤῥοῦμεν, ἀλλ' ἐὰν μὲν ὁμολογῇ τὰ τῆς ὥρας τῷ χωρίῳ παντάπασιν ἀπεχόμεθα. μὴ ὁμολογούντων δὲ κενοῦμεν μὲν, ἀλλ' ἔλαττον πολὺ, ἢ ὡς εἰ μηδέτερον ἐκώλυεν. i. Ideoq; neq; ĩ regione calida valde, neq; frigida, audacter mittimus sanguinem, verum si regioni cum anni tempore cõueniat, prorsus desistimus: non conuenientibus vero inter se his, euacuamus quidem, at longe minus q̃ si neutrum horum impediret. Vides hoc loco additam frigiditatem quoq; nimiam, quæ omnino sanguinis missionem prohibeat? Rursum vero in expositione verborum Hippocratis: Acutas ægritudines &c. quarto de ratiõe victus in morbis acutis libro, caliditatis solius meminit his verbis: προσθήσω δ' ἕνεκα τοῦ μηδὲν λείπειν, τὸν ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος σκοπὸν, ὅταν ᾖ θερμὸς ἱκανῶς, καὶ ξηρός. i. Ne quid autem desit, addatur & scopus ab ambiente nos aere sumptus, quoties calidus is satis ac siccus fuerit.

Quo casu desistendum prorsus a venę sectione præcipiat, etiam si vehemens alioqui morbus sit, & ætate florenti æger. Atq; hæc eadem Hippocratis verba, quum in libro de curatione per

venæ ſectionem repeteret, hisq́ sententiam ſuã firmaret, in hũc modum ſcribit: ὥστε ἐκ μὲν τοῦ νοσήματος, καὶ τῆς ἡλικίας, καὶ τῆς δυνάμεως ὅτι φλεβοτομητέον γνωρίζεσθαι. τὸ ποσὸν δὲ τῆς κενώσεως οὐκ ἐκ τούτων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων λαμβάνεσθαι. ταῦτα δ᾽ ἐστὶν ἥτε πληθωρικὴ καλουμένη συνδρομή, καὶ ἡ τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος κρᾶσις εἰς ὥραν καὶ χώραν τεμνομένη. i. Sic q̃dẽ vt ex morbo, ætate, virtute mittẽdũ eſſe ſanguinẽ accipiamus: at quantũ ſanguinis mittendũ, non ex his ſolũ, ſed ex alijs quoq́ ſumamus, ea ſunt cõcurſus pletoricus quẽ vocãt, ambientisq́ nos aeris tẽperies, in anni temp⁹ diuiſa, & regionẽ. Sic plane fit vt cũ hoc loco inter prĩcipales mittẽdi ſanguinis ſcopos nõ numeretur aeris tẽperies, nõ dubiũ ſit ambigere ſcopũ hunc, vt ſiquidem inſignite calidus & ſiccus aer fuerit, aut exquiſite frigid⁹, venæ ſectionẽ omnino ĩpediat. Prius enim exacte calidũ, & ſiccũ eũ appellat, deinde valde, poſtremo ſatis, exceſſus vbiq́ inſignis ſignificatione manifeſta: at ſi idem talis minime fuerit, maiorem tunc aut minorem ſanguinis detractionẽ admittat, pro tẽperamenti diuerſitate. Nuſquã enim quum hoc dicit, verbum addit aliquod, quo tẽperamenti exceſſum notet. Sed cur non additus ſcopus is dices in libro de curatione per venæ ſectionem? primũ non omnino non additum dico, prius nanq́ ante ſentẽtiæ ſuæ deciſionem ſic ſcribit: ἐπισκοποῦντες ἡλικίαν τε καὶ χώραν καὶ δύναμιν. i. Animaduerſa ætate, regione, ac virtute, idq́ quũ adhuc primos

tractaret mittendi sanguinis scopos. Deinde affirmare illud quoque possumus, omissum ideo quod ipse se manifestet diligentius certe inspicienti. Vt enim sicuti nono therapeutices libro dicebatur, quum aut venam incidimus, aut incisuri iam sumus, si tunc liberaliter aut sanguis menstruus profluat, aut adaperta hæmorrhois affatim transmittat hūc ipsum, nullus qui quidem mente constet, venam aperuerit, mittendi sanguinis ergo: siquidē large is feratur, vsque eo vt ex spontanea hac profusione sperare liceat euacuatū iri, quod satis sit. Sic profecto, paulo modo oculatior, viderit minime mittendū esse sanguinem, in exquisita illa ambientis aeris constitutione calida nimis & sicca, quippe qua per occultam licet transpirationem, tantum tamen disflari sanguinis, humorumque possit, quātum vel ex sanguinis missione sperandum esset. Quo ferè nomine puerilis quoque ætas venæ sectioni eximitur, vti iam qui ętatis scopum affert, idem propè aeris quoque attulisse videri possit, nimirum eadem omnino vtrobique ratio, causa eadē, prorsus vt eodem aliquo tandem pacto, contineantur scopo puerilis ætas, atque ambientis caliditas īsignis: aeris autem frigiditatem maximā prorsus ex accidenti alio quodam, ob refrigerationem scilicet nimiam inter accessionis initia, qua plerunque correpti ægri dissecta antea vena restitui vlterius nequeunt, vt hæc quoque virtutis includi scopo queat: nō quidem imbecillitatis præsentis, sed quam futuram tamen timere

par sit, quemadmodum propè crudiorũ quoq; humorum plenitudo respicit scopum hunc, vt in duodecimo therapeutices libro, & de curatione per venæ sectionẽ, relato antea loco, vbi in hæc verba scribit: οὐδὲ γὰρ ὁπότε πλῆθος ὠμῶν χυμῶν ἤθροισθαι τοιοῦτον, ὡς κελεύεσθαι φλεβοτομεῖν ὁ λόγος ἐλέγχεται. ῥώμη γὰρ τούτοις δυνάμεως οὐ πάρεστι. i. Neq; enim quum humorũ crudiorum copia collecta tanta fuerit, vt venam secandam esse iubeat. Quod dicimus minus verũ esse arguitur, quando his virium robur non adsit. Vt quoniam idem, ob humorũ in accessionis initio concursum, accidit, videri non inepte possit eadem quoq; vtriusq; esse ratio.

In victus ratione, quæ capiti dolenti præscribitur, quomodo palmulæ conueniant, quæ tamen capitis autorum omnium consensu, excitare dolorem creduntur,

Enantioma XLI.

QVi capitis dolorem curat, is si Galenum consulat secundo de compositione medicamentorum secundum locos, palmarũ fructus non concedet edendos. Sic enim scribit: ἀπέχεσθαι δὲ βαλάνων φοινίκων. ἔχουσι γὰρ ἰδιότητά τινα κεφαλαλγίας ποιητικήν. hoc est, Abstinendum à palmulis, vt quæ proprietate quadã capitis dolorificæ sint. Et ante eum Plutarchus in libello salubrium præceptorum: τὸν μὲν γὰρ ἐγκέφα-

λον τοῦ φοίνικος γλυκὺν ὄντα σφόδρα κεφαλαλγὸν λέγουσιν εἶναι. i. Palmæ nanque cerebrum quod dulce valde est, aiunt capitis dolorē ciere. quod & Xenophon in secundo ascensus in Persidē libro testatur. Est autem Galeno atque Aetio cerebrum, quod præter fructum in vsum maxime venit, ex planta, sicuti sane elate, nouum huius germen appellatur. Hæc porro omnia capitis dolorem facere creduntur. Atqui eodem Galenus libro secundo scilicet de commentarijs secūdum locos, visus est palmulas vel dolente capite admisisse: ὅσοι δὲ οὐ δύνανται τὸν ἄρτον ἐσθίειν χωρὶς ὄψου, τούτοις ἢ ἐλαιῶν, ἢ φοινίκων, ἢ σαφυλῆς, ἢ τινὸς τοιούτου διδόναι, τῇ πείρᾳ τὸ βέλτιον αὐτῶν εὑρίσκοντα. ἄλλῳ γὰρ ἄλλο βέλτιον ἐστὶν κατὰ τὴν ἰδιότητα τῆς φύσεως. i. Qui vero panē absque opsonio edere non valent, ijs dādum aut ex oliuis, aut palmulis, aut vua, aut tali aliquo, experientia quod conducibilius sit, reperto: alij enim aliud pro naturæ proprietate melius. Sed diuersum omnino fuerit, capitis dolorem curam ex ebrietate, quod prius facit, in quo insignis in capite contineatur vaporum vis, atque etiam humorum interdum: vt si pauxillulum quid aberratum fuerit in victus ratione, non abs re dolorem quoque vna adaugeri cōtingat, & capitis dolorem tractare, ex ventriculi tantum adfectu ortum: quo casu huius tantummodo habenda ratio sit. Palmulæ porro sicuti capiti noxiæ habētur, sic medicorum omnium de his scribētium suffragio ventriculo in primis cōferre credunt,

vt hoc

vt hoc casu noxam, si quam inferre capiti pos- sunt, obscuret vsus, quem vẽtriculus persentiat manifestũ, roborandi vi qua in primis pollent. Neq; tamen nullo interea delectu vtendum his censet, sic temere, sed tum demum quum experti didicerimus noxam abesse. Quin & varia tradit, vt subesse delect⁹ queat, & variare liceat, ꝙ tum demum obesse existimentur maxime, quũ crebrior vsus fuerit cũ palmularum, tum vero rerum etiam aliarum. Sic porro ad rem hãc scribebat Galenus in consilio pueri comitiali morbo laborantis: τούτου τοῦ γένους εἰσὶ καὶ αἱ βάλανοι τῶν φοινίκων, ὧν οὐδ' ἔργῳ τελέως, ἀλλ' ἐν καιρῷ τε, καὶ μέτρια προσφέρεσθαι συγχωρῶ. τὸ δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἢ πολλὰ φυλάττεσθαι συμβουλεύω. i. Eiusdem generis sunt palmulę quoq; a quibus illum non prorsus arceo, sed opportune, & modice assumere permiserim: quottidie autem, & multis vt vtatur, id vero cauendum censeo. Facit autem illud quoq; ad rem hoc loco ꝙ vice tantum eæ obsonij cõceduntur, ac veluti pro cõdimento panis, vt hac de causa longe minus inesse his nocumenti existimemus: eodem opinor pacto, quum nonnunquam in de victus ratione in morbis acutis, oxymeli illo nomine dãnetur in intestinorum adfectib⁹ ꝙ ea abradat, pani interim admixtum conceditur acetum in therapeuticis: τρέφειν δὲ τοῖσδε χρὴ, ῥεούσης μὲν ἔτι τῆς γαστρὸς, ἀλφίτοις τε καὶ τοῖς καλουμένοις ὀξυλιπέσιν ἄρτοις, ὀλίγιστον ὄξος ἔχουσιν, οὐχ ὡς ἐπὶ δυσεντερίας, ἢ χρονίας διαῤῥοίας εἰώθαμεν σκευάζ-

ζειν. i. His autem nutriendi ſunt, cita etiamnum aluo pollenta, & pane, acido vocato, cui additū aceti minimum ſit, non plane quemadmodum parare cōſueuimus in difficultatibus inteſtinorū, aut diarrhoes diuturnis, vbi ſcilicet plus additur aceti. Vt obiter paruum hoc diſſidiū, vna eademq́ꝫ opera tollamus.

Qualia ſint vocum harum στύφον, αὐστηρὸν, στρυφνὸν, apud Galenum ſignificata: tum quo pacto conuenire poſſint, quanquam alicubi diuerſa,

Enantioma XLII.

FRequentiſſimus eſt in medicorum libris vocum harū vſus, στύφον, αὐστηρὸν, στρυφνὸν. i. Adſtringens, auſterum, acerbum: ea ſic diſtinguit Galenus vbicunqꝫ fere vſus venit rei huiuſce, vti στύφον communi eſſe αὐστηροῦ & στρυφνοῦ vocabulum dicat, αὐστηρὸν porro & στρυφνὸν, maioris minoriſq́ꝫ inter ſe tantum ratione diſtare. Non licet ſed nec libet quidem diuerſa huc, in quib⁹ ita ſentit loca conferre, ſed ſatis ſit & ex quarto libro de compoſitione medicamentorum ſecūdum gen. citaſſe verba, quæ ita habent: ἐκ μὲν γὰρ τῆς αὐστηρὸν τὸ μετρίως στύφον σημαίνεται παρὰ τοῖς ἕλλησιν, ἐκ δὲ τῆς στρυφνὸν τὸ βιαίως, καὶ σφοδρῶς. τὸ δ᾽ ἀμφοῖν γένος κοινὸν ἐκ τοῦ τῆς στύψεως ὀνόματος δηλοῦται, μὴ προσδιασαφουμένου πότερα σφοδρῶς ἢ ἀμυδρῶς. i. Græci nanqꝫ quod modice adſtringit, auſteri vocabulo ſignificant, ſicut

ti acerbi, quod violēter hoc & vehementer præ
ſtat: genus autem vtriq; commune, adſtringen-
tis voce declaratur, nulla interim manifeſtatio-
ne parum ne id an vehementer præſtet. Hæc
quum ita habeant, ſequēti tamen ſtatim libro,
itidem de compoſitione medicamentorum per
genera, dum de his tractaret, ita ſcribit: τὰ δ' ἰσχυ-
ρὰ ταῦτα διττὴν ἔχει τὴν καθόλου δύναμίν τε καὶ
ποιότητα, ἔνια μὲν αὐστηρὰν καὶ στρυφνὴν, ἔνια δὲ δρι-
μεῖαν τε καὶ στρυφνήν. διὰ τοῦτ' οὖν τῶν μὲν δριμεῖαν
ἐχόντων δύναμιν ἔμιξεν ἐλένιον, τῶν δ' ἰσχυρῶς στυφόν-
των (ταῦτα γὰρ ὀνομάζομεν αὐστυρὰ καὶ στρυφνὰ) τὴν
στυπτηρίαν. i. Cæterum quæ vehemētia ita ſunt,
duplicem obtinent cum facultatem tum quali-
tatem, auſteram & acerbam nonnulla, ſicuti ali
qua acrem & acerbam. Propterea igitur ex iјs,
quæ acri ſunt facultate prædita, addidit eleniū:
ex iјs autē, quæ egregie adſtringunt, (Hæc nāq;
auſtera, & acerba vocamus) alumen. Hoc lo-
co auſterum acerbo immiſcuit, ſiue id vicinia
rerum fecit, ſiue ꝙ auſterum, quamuis aliquate
nus diuerſum, facile acerbo contineatur, vt mi-
nora maioribus ſolent, & validioribus minus
potentia, vt non immerito acerbum quod ſit,
idem dici auſterum quoq; poſſet, licet è contra
rio non fiat, vt auſterum cōtinuo acerbū quoq;
eſſe dicatur. Quod admitti hoc quidem præſer
tim loco poteſt, vt non diuerſæ admodum cen-
ſeantur qualitates huiuſmodi, vbi nō tam illas
inter ſe diſtinguit, ꝙ̄ eas ab acri ſimul facultate
ſeparat, nimirum res facultatis generis ſaltem

eiusdem à re alterius generis facultate prędita: nec diuersa prorsus ratione fieri potest, vt interdum adstringens cum austero censeatur, quoties quidem non exacte admodum disparamus qualitates huiusmodi, vt fit quarto therapeutices libro: καλῶ δ᾽ αὐστηρὸν, ὅπερ καὶ στύφον ὀνομάζεται, τὸ στρυφνὸν δὲ ἐπιτεταμένον ἐστὶν αὐστηρόν. i. Austerum voco, quod adstringens quoque dicitur, acerbum autem austerum est intẽtius. Et primo de temperamentis simplicium medicamentorum libro: εἴη δ᾽ ἂν ὁ μὲν αὐστηρὸς, κατὰ τὸν ὑφ᾽ ἡμῶν στύφοντα προσαγορευόμενος, ὁ δὲ στρυφνὸς ἐπιτάσει τούτου γιγνόμενος. i. Fuerit autẽ austerus succus sic appellat⁹, cuiusmodi apud nos est adstrĩgens, acerbus autem huius ipsius intentione fit.

Fieri autem posse, vt pro vtroque accipiatur στύφον, austeri scilicet significatione, voceque austero acerboque communi, non ita multo post ostẽditur his verbis: ὃ δὲ καλοῦμεν ἡμεῖς στύφον, οὐ πάνυ μέντοι πρὸς τῶν περὶ τὸν Θεόφραστον, εὑρεῖν ἐστὶν εἰρημένον. ἔοικε δή τι ταὐτὸ δηλοῦν τῷ αὐστηρῷ, ἢ κοινὸν εἶναί τι γένος τούτου τε καὶ τοῦ στρυφνοῦ. idest, Quod nos adstringens vocamus, non sane faci le reperias apud Theophrastum ita appellari, videtur autem idem atque austerum significare, aut commune esse genus austeri & acerbi. Atque paulo ante tamen relata iam verba, alium dederat vocis στύφον significatum, quo neque austerum notetur, neque vero genus id vtrique commune, quem est videre. Sic fit vt quum multiplex vocum harũ vsus habeatur, Galeno tamen nunquam

nō fere στύφον, commune austeri acerbiq́; genus sit, στρυφνὸν contentam valde qualitatem huiusmodi notet, austerum retusam. Quibus non pugnat, ꝙ aliquādo austerum acerbo commisceatur, re, voceq́;, dictis de causis, sicuti cum austero adstringens, quod per se quoq; aliud quiddā notet, præsertim eo loci vbi visus sit, Platonis ac Theophrasti super re hac sentētię meminisse.

De lentis temperamento, quod partim ęquale esse, partim in calidum vergere dicatur à Galeno, cum eodem tum vero diuersis in locis.

Enantiona XLIII.

ΨΥχρώτατον βρῶμα φακοὶ, κέγχροι, κολοκύνθαι, quidē Hippocrates libro epide. sexto sectione sexta. i. lentem frigidissimam statuit. At non placuit Galeno hæc sententia, cui omnino reclamet clare demonstrans ex duplici substantia lentem conflari, altera quæ aluū supprimat, altera quæ ad excernendum prorritet: τούτων οὖν ἡ μὲν ἐπέχουσα ψυχρὰ καὶ γεώδης ἐστὶν, ἡ δ᾽ ἐπεγείρουσα θερμή. καὶ διὰ τοῦτο ξηραντικὸν μὲν ἔδεσμα φακὴ, ψυχρὸν δ᾽ οὐδαμῶς, ὥσπερ οὐδὲ θερμὸν, ἀλλ᾽ ἐξ ἀμφοῖν μικτὸν καὶ μέσον, εἰ καὶ βραχύ τι πρὸς τὸ θερμότερον ἀποκεχωρηκὸς ἀπὸ τοῦ μέσου. i. Ex his itaq; facultatibus, quæ quidem supprimit, frigida est & terrea, quę vero irritat, calida: proinde lens edulium fuerit, quo siccando quidem sit, neutiq; vero frigidum, sicuti sane nec

calidum, ſed ex vtroq; commixtum mediumq;.

Quanquam pauxillum quid à medio ad ſolidius recedat, vt mirum eſſe non debeat, ſi in libris de temperamentis medicamentorum ſimplicium, temperatā hanc ſtatuerit, ac rurſus aliquādo calidam, vt in qua aliquid omnino ſubeſſe caloris appareat, præſertim ſi cum cæteris leguminibus conferatur. Sic enim ſcribit in cōmentarijs in Hippocratem de victus ſalubris ratione: σὺ δὲ καὶ τῶν ὀσπρίων ἐπλέξῃ τὰ θερμαίνοντα, καὶ ξηραίνοντα, καθάπερ τὴν φακὴν. i. At tu ex leguminibus deligito, quæ calefaciant atq; exiccent, quod genus eſt lens. Porrò verſu qui hūc ipſum præit, ita ſcripſerat: παραπλησίως δὲ καὶ ὁ ἄρτος, εἰ παραβάλλοιτο μάζῃ, θερμαίνειν τε καὶ ξηραίνειν λεχθήσεται. i. Ad eundem modum panis quoq; ſi cum maza cōferatur calefacere & exiccare dicetur. Atq; hæc de tota ego lēte dicta intelligo, nam ſi quis ſic iſta diluat, vt dicat detracto cortice lentem temperatam eſſe, integrā vero calidam, viderit is vt tueri ſententiam ſuā poſſit: ego enim contra potius contenderim, quandoquidē autore Galeno potiſſima adſtringēdi vis cortici inſit, ideoq; & frigiditas, vt hac de cauſa non immerito exiſtimandum ſit, nondum deglubitam frigidā eſſe magis debere, aut certe minus calidam, ſicuti deglubitam calidiorem, vt in qua cum cortice vna demptum multum quoq; de frigiditate ſit, quæ adſtringendi vim illam, quæ in cortice ineſt, inſignem comitetur.

Num sumi ex odore temperaturæ rerum argumentum possit, quando nõ sane admodum cõuenire videãtur, quæ Galenus de re hac prodidit diuersis in locis,

Enantioma XLIIII.

ABerrant valde quicunque ex odore rei alicuius temperamentum colligunt, vt secundo de temperamentis medicamẽtorum simplicium libro: εἴρηται μὲν οὖν ὡς οὔτ᾽ ὀσμαῖς οὔτε χρόαις, οὔτ᾽ ἄλλῳ τινὶ τῶν συμβεβηκότων εὔλογον ἐστὶ προσέχειν τὸν νοῦν ἐν ταῖς τῶν δυνάμεων ἐξετάσεσιν, ἀλλὰ τοῖς ἐναργῶς φαινομένοις ἐπί τε τῶν ὑγιαινόντων, καὶ νοσούντων σωμάτων. i. Igitur excutiendis facultatibus ostendimus, nec odorẽ esse animaduertendum, nec calorem, nec accidentium aliquod, sed hæc esse consyderanda, quæ manifeste appareant in corporibus sanis, ægrisque. Quod quum alibi quoque nonnunquam clarissime testetur, tertio tamen commentariorum, in de victus ratione in morbis acutis, de vino pertractans sic scribit: καὶ μὴν καὶ τὸ ἄοδμον αὐτοῦ μέγιστον γνώρισμα τῆς ἀσθενείας τε καὶ ψυχρότητος ἐστὶν, ὕδατι καὶ κατὰ τοῦτο ἐοικὸς, ὥσπερ γὲ, καὶ τῶν ἰσχυρὰν ἐχόντων ὀσμὴν μέγιστον τοῦτ᾽ ἐστὶ, τῆς ῥώμης σημεῖον. & paulo post: ἀξιόλογον δὲ διὰ τοῦτ᾽ αὐτὸ τὴν θερμασίαν, καὶ τὴν ὀδμὴν ἐπικτᾶται. id est, Quin maximum quoque inde frigiditatis, & imbecillitatis argumentum colligas, quod inodorum sit aquæ hoc nomine non plane dissimile, sicu-

ti ingens fuerit roboris indicium, in quibus validus continetur odor. (& deinde) atq; ob idipsum insignem cum calorem, tum odorem acquirit. Hic quis nō videt euidētem in primis caliditatis notam reponi in odore? ad quod tollendum dissidium examinentur necesse est, quę sub finem quarti de medicamentorum simplicium temperamentis libri, tradūtur fusius hac de re, vbi ex professo rem hanc pertractans, certum ex odore rerum temperaturæ signum colligi nullum posse ostendit, cū alijs de causis quas inibi recenset, tum vel maxime ob substantiæ plerunq; inæqualitatē. τὸ δὲ μέγιστον ἅπασι τοῖς ὀσμώδεσιν εἰς τὸ μηδὲν ἐνδείκνυσθαι σαφὲς ὑπὲρ τῆς κράσεως, ἡ ἀνωμαλία τῆς οὐσίας ἐστὶν. i. Omnium tamen maximum odora habent, quo nihil ostendere aperte possint, in tēperaturis substantiæ inæqualitatem. Probaturq; id rosæ in primis exemplo, quæ quamuis odorem de se late iaciat, frigida tamen esse cēsetur, non q partes quoq; ibi calidæ non sint, sed q plures frigidæ lateant, quæ deprehendi ex odore nequeāt, vtpote crassiusculę. Quas ipsas solus detegere gustus possit, prope vt odor caliditatem quidē ille quandam omnino designet, ac partium tenuitatem, non sic tamen eā tota vt de re cōiecturam facere ex hoc possis, ob partium sępenumero inæqualitatem, ex gustu autem possis, vt quē nullus subterfugere sapor queat, qui quidem ī re insit, acris, amarus, salsus, austerus, & reliqui id genus, qui quum sese euidētius gustui repre-

ſentent, fit vt rem aliquam, aut calidam, aut fri-
gidam, pro ſaporum diuerſitate pronuntiare li-
ceat conſtantius. Proinde ad colligēdum rei to-
tius temperamentū ſtatuendumq́ꝫ, primo igno-
tū adhuc opus certe ſit methodo prolixe à Ga-
leno tradita, ſaporumq́ꝫ præterea dignotione:
at poſt deprehenſam rei via hac, & ratione tem
peraturam, ſic vt calidam illam ſtatuere, aut fri-
gidam poſſis, humani nimirum temperamenti
collatione, iam nihil abſurdi fuerit, etiā ex odo
re coniecturam facere caliditatis, vt ex quo du-
ci nota poſſit caloris, in rebus quidem generis
eiuſdem. Sic non abs re opinor odoriferas ro-
ſas, quæ tamen ipſæ æqui nimirum tēperamen
ti collatione frigidæ etiamnum fuerint, inodo-
ris calidiores eſſe exiſtimamus, eodemq́ꝫ modo
ī aliјs eiuſdem farinæ: idemq́ꝫ prorſus dicamus
de vino licet, quod quum calidum omne ſit, ſic
via illa ac ratione inuentum, odorū tamen ſem-
per calidius eſſe inodoro poſſit, ęque fere ac ex
colore ſumi argumentū poſſe dicebat Galenus
quarto de temperamentis medicamentorū ſim
plicium libro, caliditatis ī genere eodem, ac fri-
giditatis, vt vini quoque ipſius: οἷον αὐτίκα καὶ
κρόμμυον, καὶ σκίλλα, καὶ οἶνος, εἰς ὅσον ἂν ᾖ λευκό-
τερα, καὶ ἧττον ἐστὶ θερμὰ. τὰ δ᾽ ὑπόξανθά τε καὶ
κιῤῥὰ θερμότερα. i. Quemadmodum plane, &
cepa, & ſcilla, & vinum, quanto albidiora, tan-
to minus quoq́ꝫ calida fuerint, ſufflaua vero ac
fulua calidiora.

Reddita ratio roſacei olei, quamobrem fiat,

vti eodem id quo roſaceus ſuccus, temperamento conſtet, atq; interim hoc ipſo frigidum eſſe minus poſſit,

Enantioma XLV.

EX materia medica nonnulla habẽtur, quæ qualitatum quattuor in medio ſita nec calida dici, nec frigida, ſed neq; humida, neq; ſicca poſſint, rei nimirum vndiq; attemperatæ comparatione ea vſum illũ præſtant, vt reliquis ſeſe materiæ potius cuiuſdam vice addant, ſic vt ſuſceptarum ſemper rerum vires facile exprimãt, penes quidem calidum & frigidum, humidum & ſiccũ, ipſa interea nihil de ſuo tale exhibeãt, niſi perſiſtentiam tantum quandã, quaſiq; perdurationem diuturniorem. Huiuſce vel in primis modi eſt oleum, nimirum purum illud ſyncerumq;, quod Galeno probatum eſt materiæ cuiuſdam rationem obtinere, ſecundo de medicamentorũ ſimpliciũ tẽperamẽtis libro, ideoq; roſaceum oleum, vt quod ex huiuſmodi oleo, roſarumq; præterea ſucco conſtet, nulla eſſe alia temperatura præditum ait, q̃ qua roſarum ſuccus eſt. ἐξ ἐλαίου δὲ καὶ ῥόδων χυλῶν σύγκειται τὸ ῥόδινον, ἐςὶ δήπου καὶ αὐτὸ τοιοῦτον τὴν κρᾶσιν, οἷοσπερ καὶ ὁ τῶν ῥόδων χυλὸς. i. Ex oleo roſarũq; ſucco conſtat roſaceum oleum, videlicet igitur quale fuerit roſacei ſucci temperamentum, tale erit & roſacei olei. Porrò roſarum ſuccus, ſi quis de eo periculum faciat, inuenietur inter ea

collocari merito poſſe, quæ primo ferè abſceſſu refrigerent. Hāc ſententiam tam luculenter inueſtigatam, demōſtratamq; videri poſſit Galenus, non ſeruaſſe perpetuam ad extremū opere eodem: ſiquidem tertio poſt eiuſdē argumenti libro, ita tradat: αὐτίκα γε καὶ τὸ ῥόδινον ἐν τῷ μεταξὺ τὴν κρᾶσιν κεκραμένον, ἐλαίου τε καὶ τοῦ τῶν ῥόδων χυλοῦ. τοῦ μὲν γὰρ ἧττον ὑπάρχει θερμὸν, τοῦ δὲ μᾶλλον. ἀναψύχει μὲν γὰρ τοὺς ἐγκεκαυμένους, τῷ χλιαρῷ δηλονότι τῆς θερμότητος, ὀλίγον δέ τι καὶ τοὺς κατεψυγμένους θερμαίνει. i. Ipſum quidem roſaceum temperamento medio eſt, inter oleum ac roſarum ſuccum, vt quod hoc calidū minus ſit, quemadmodum illo magis: ſiquidē peruſtos refrigerat, caloris ſcilicet tepore, tum pauxillum etiam quid refrigeratos excalfacit.

Iam igitur hoc loco non eodem conſtiterit temperamento, roſaceum oleum atq; roſarum ſuccus, quandoquidem minus id roſarum ſucco frigidum videatur facere, hoc quidem loco. Quid itaq; dicemus? profecto controuerſa res eſt, idem prius temperamentum ſucco roſarum roſaceoq; oleo tribuis, neq; ita multo poſt, minus eſſe frigidum roſaceum ſtatuis, idq; opere eodem, imo rei eiuſdem tractatione. Nec mihi hoc exempli tantum cauſa allatum eſſe dixeris, id enim ſubinde locis aliquot repetit Galenus, vt videri facile poſſit rem ipſam prorſus, vt habet, ſignificare, non aliud agere voluiſſe. Age iam dicamꝰ hoc loco oblitum ſui Galenum temere iſta effudiſſe, ac minime ſibi conſtitiſſe, ſi-

quidem hæc iam parata est aliquibus via diluẽdorum id genus ambiguorum compendiaria, quam nunc quoq; insistere pergimus nõnulli, vt quum exitum non inueniamus tricis præpediti, ĩ quas ipsi nos sæpenumero induimus, hac violenter erumpamus, præfractis etiam persæpe veritatis claustris, autorisq; nomine sugillato, cuius nunc aliorsum sensa rapimus ac proditum ab eo fuerit, nunc verborum intellectum non assequimur, nũc perperam interpretamur, quum liceret locorum ĩter se collatione paulo (vt ita dicam) ventilatiore ac diligenti sentẽtiarum excussione, hocq; veluti mutuo inter se rerum huiusmodi attritu, veritatem elicere, paulo etiam aliquando altius latitantem. Quod vt mihi facere haud facile sit, sic cuiuis alteri paulo modo oculatiori, ac ĩgenio perspicaci magis promptum fuerit, & in multis id genus controuersijs ad manus. Nunc pleriq; ingenij bonitatem qua vigent retusam ignauia quadam reddunt, causamq; persæpe quam tuendam suscipiunt, deteriorem faciunt præuaricatione, vsq; adeo vt præstabilius aliquando fuerit, prorsus siluisse. Qui si tamen oculorum in id aciem intenderent, ac diligenter rimarentur omnia quæ sunt ingenij dexteritate, fuerint multo plura in his inspecturi, manusq; adiutrices veritati adhibituri, manum illi ipsi sæpius nobis e tenebris porrigenti suam, vt hoc quoq; loco, vbi diligẽter certe prius videndum, quomodo dictum sit à Galeno oleum excalfacere. Hoc nanq; inspe-

cto perfacile fuerit quo nam pacto rosaceũ excalfaciat existimare, quandoquidem excalfationem huic omnem oleum ipsum conciliet. Calefacit itaq; oleum, vt medici omnes norũt, estq; à Galeno prolixe demonstratum secundo de tẽperamentis medicamentorũ simplicium libro, non quidem vt aliquam caloris qualitatẽ adaugeat, aut alterius generis addat, sed quod potius cõseruet iam inuentam, qualiscũq; tandem ea fuerit, vt non immerito hac gratia partim calefacere, partim minime calefacere dicendum sit: καὶ κατὰ τοῦτ' εὐλόγως οἱ μὲν θερμαίνειν αὐτὸ φάσκουσιν ἡμᾶς, οἱ δὲ οὐ θερμαίνειν. θερμαίνειν μὲν γὰρ ἂν δόξειεν εἰς ἴσην τῷ θερμαίνοντι σώματι θερμασίαν ἀφικνούμενον. ἀντιθερμαίνειν γοῦν δύναται ταύτῃ. τῷ δὲ μὴ προσαυξάνειν, ἣν καθέλαβεν, οὐκ ἂν δόξειε θερμαίνειν. οὐ γὰρ τὸ φυλάττειν ἣν εὗρεν, ἀλλὰ τὸ παραύξειν ἔργον εἶναι τοῦ θερμαίνοντος. i. Ideoq; non sanè abs re alij oleum excalfacere nos affirmant, alij negant. Videri enim possit calefacere, postquam æqualem calefacienti corpori calorem adeptum fuerit, siquidem recalfacere hac gratia potest. Quo vero nomine calorem quem inuenit, non adauget, videri planè possit minime calefacere: neq; enim excalfacientis munus id esse, vt inuentum calorem cõseruet, sed vt adaugeat potius. Et rursus: συμβέβηκε δὲ καὶ ὡς φαρμάκῳ μέσῳ πως εἶναι τῶν θερμαινόντων τε καὶ ψυχόντων ἡμᾶς, ὑπάρχει δ' αὐτῷ καὶ ὡς σκεπάσματι θερμαίνειν ἡμᾶς, καὶ ἥ γε κυριωτάτη μάλιστα εἰκὼν τῆς φύσεως αὐτοῦ τοιαύτη τις εἶναι μοι

Τονεϛ.i. Contingit aũt, vt & aliquatenus medica mẽtũ mediũ ſit, inter ea quæ nos aut calefaciũt, aut refrigerant: ineſt vero huic vti etiam integu menti vice excalfaciat, ac videtur ſane mihi omnium maxime figura ſiue imago hęc huius ipſius naturam proprie referre. Ergo vtrocũq; modo excalfacere dicatur oleum, nũquam quidem ita calidum dicetur, vt cætera eſſe dicũtur, q̃ quũ potentia talia ſint, caloris adaugent qualitatem. Illud enim contra nunquam temperamentum exceſſerit, eodemq; modo roſaceum, ſiquidem quicquid obtinet caloris id totum referre acceptum oleo debeat, ſicuti certe debet, hactenus tantum calidum dicetur, non vt rem calidiorem efficiat, ſed reperti ſolummodo caloris conſeruatione, aut quod, ſiquidem immutetur, nunquam tamen plus iuſto excalfaciat, vt quod intra temperamentum ſemper ſubſiſtat. Quando oleum etiam ipſum huiuſmodi habeatur, vt & qualitatem omnium medium ſit, & ſi quãdo intro ſumptum à calore immutetur noſtro & in alimentum cedat, vt pleriſq; medicorũ placuit, & caloris inde qualitas nulla corpori concilietur noua, niſi quatenus, vt in reliquis fieri ſolet, quæcunq; corporibus alimoniã ſubminiſtrant, caloris ipſius ſubſtantiam tantummodo augeat. Sic igitur roſaceum oleum manifeſto eiuſdem fuerit prorſus cum roſarum ſucco temperamenti, quantum quidem ad qualitates attinet caloris frigoris'ue, vt in quo nihil additum tale ſit, quod frigoris qualitatem quæ in

rosarum succo est, retundat: id enim caloris fie-
ret additamento, temperamentum excedentis,
cuiusmodi nihil in oleo, idemq́ rursus rosaceũ
ex olei calore hoc constiterit, sicuti docuimus
attemperato, & rosarum præterea frigiditate,
vt iam hac de causa rosarum esse succo calidius
possit, neq́ interim tamẽ hoc ipso magis excal-
facere, illo quidem quo dicebam modo. Quod
genus caloris χλιαρὰν θερμότητα vbiq́ vocat Ga-
len⁹, cuiusmodi etiã in lacte inest, de quo quin-
to eiusdem argumenti libro in hunc fere modũ
scribitur, quo loco lactis copiam gigni, & medi
camẽtorum vsu probat calorifico, quoties hæc
pituitusos humores cõcalfactos in sanguinem
verterint, & alimentis præterea substantia tota
similibus: κἀπειδὰν οὗ χυμοί τε καὶ ὑγροὶ μετρίως
ὦσι, καὶ θερμότητος χλιαρᾶς, οἷάσπερ ἐστὶ καὶ τὸ γά-
λα, συμμέτρου μὲν γὰρ τῷ ζώῳ θερμότητος τὸ αἷμα
μετέχει, πλείονος δὲ ἢ κατὰ τὸ μέτρον ἡ ξανθὴ χολὴ,
καθάπερ τὸ φλέγμα ψυχρότητος, ἐν τῷ μέσῳ δ᾽ ἐστὶν
φλέγματός τε καὶ αἵματος, ὅσον ἐπὶ τῇ θερμότητι
τὸ γάλα. οὐ μὴν ἴσον γε ἀφέστηκεν ἑκατέρου, ἀλλ᾽ ἐ-
στὶν πορρώτερον μὲν τοῦ φλέγματος, ἐγγύτερον δὲ
τοῦ αἵματος. i. Quũq́ hæc humida modice fue-
rint, succoq́ bono prędita, ac caliditate tepida,
quali lac quoq́ ipsum cõstat. Sanguis nanq́ ca-
lorem obtinet animanti ipsi æqualem, flaua au
tem bilis æquo maiorem, quemadmodum sa-
ne pituita frigiditatem. Lac porro sanguinis
pituitæq́ in medio consistit, quantum quidem
ad calorem attinet, neq́ tamen ab vtroq́ æquo

distat, quippe quod propius ad ſanguinem accedat, ſicuti longius à pituita abeſt. Quis nõ videt Galenum hoc loco frigidũ ſtatuiſſe lac, atque idem tamen tepore quodam calido præditum eſſe affirmaſſe: minime mirum vt ſit non diuerſum fuiſſe ab eodem prçditum de roſaceo oleo, vt in quo quum tepor inſit illiuſmodi, qualem oleo quoque adeſſe demonſtrauimus, frigiditas tamen interim etiam notetur eadem, quæ roſacei quoque ſucci ſit: quæ quo nam tandem pacto inter ſe cohæreant, abunde, opinor, ſuperius oſtendimus.

Cur longior ars medica dicatur, quæ hoc tẽporis captu breuis eſſe debuerat, tum Galeni dictum elogium in tranſcurſu,

Enantioma vltimum.

VIta breuis, ars vero longa, ait Hippocrates, diuerſisque id argumentis enititur confirmare Galenus. At idẽ dum in primo de dignotione pulſuũ vehementius in ſophiſtas inueheret: παύσασθε πρὸς τοῦ διος, inquit, ποτὲ μηδὲν προσήκουσι λήροις ἐπιφορτίζεσθαι τὴν τέχνην, οὐκ οὖσαν καθ' ἑαυτὴν μακρὰν, εἰ σχολὴν ἄγετε καὶ τὸν βίον οὐκ ἀνατρέπειν, ἀλλ' ὠφελεῖν προῄρησθε καὶ τὴν τέχνην οὐ κωλύειν, ἀλλ' αὔξειν ἐσπουδάσατε. hoc eſt, Definite aliquando artem per deos omnes ineptis nugis accumulare, quæ ipſa per ſe longa non ſit, ſiquidem otium vobis ſuppetit, vitamque in me-

lius promouere non euertere propositum habe retis, artemque ipsam incremento iuuare, non illam impedire studuissetis. Artem hoc loco medicam per se longum non esse ait, sed sophistarum id fieri ineptijs ac contentiosa illorũ inter se altercatione, dum quæstiones tractãt inutiles, deque rebus digladiantur manifestis adeo, vt illas in disquisitionem vocare stultum sit. At diuersa sensit quum artem ex Hippocratis sententia longam esse diceret, quod præceps sit agẽdi occasio, quod fallax experimẽtum nec periculo vacet, quodque indicium difficile. Atque vt ista recte perpenderent, magni quoque rei medicę autores diligenter semper elaborarunt, quo fit vt citra etiam nugantium sophistarum cauillationes lõga per se sit ars, ad quam inuestigandam consumandamque tot tamque difficilia requirantur, quę sane omnia cũ dicto priore illo non cohærent: nisi ita dixerimus Hippocratis scilicet tempestate nõ immerito artem appellari longam potuisse, ad quam inuestigandam, ac prope dixerim, cõstituendam ab initio multum insumendum erat laboris ac temporis, siquidem tametsi nõnullę tunc essent medicorum sectę, quarum interdum mẽtionem faciat Hippocrates, ex multis tamen colligas longe eos in plerisque fere omnibus a vera medendi via aberrasse, atque, vt ita dicã, ἀρχαίως πάνυ de multis sensisse, vnde non multum sperari fructus ad rem instituendã medicam posset, & si qui reperti tamen sunt, qui rectam tunc insisterent curandi rationem, pauca

hi admodum proferre in lucem potuere, quod fieri necesse fuit, in artis vsq; adeo difficilis primordijs, & veluti incunabulis, præter id q̄ literis etiam non sane mandabant multa tunc temporis, quod ipsum non parum rei augebat difficultatem. Sic enim fiebat, vt pro se quisq; infinita prope, atq; ea diuersa plerunq; notare cogeretur, quæ deinde experiētia quoq; comprobaret: cui plane rei peragendę, ad plenumq; absoluendæ suis esse nequaquam posset breue adeo humanæ vitæ curriculum. Atq; hoc vidēs Hippocrates, cōsultumq; posteritati cupiens vnica id fieri posse rōne animaduertit, si inuēta vnusquisq; per se rebus distincta omnibus, diligenterq; animaduersa literis mandaret, vt eadem semper anxie inquirendi onere leuata posteritas, commodius reliquæ, tam magnæ artis inuestigationi vacaret. Hac ratione reiq; huiusce tātum respectu, omnium prim⁹ eorum quidem, quorum ad nos fama peruenerit, multis diligētissime scriptis libellis artem auxit hanc, lucēq; illi attulit prope depositæ, cuius laudis æmulæ insecutæ illum ætates, dum pro se quisq; nouis subinde inuentis promouere semper in melius nititur rem medicam, tractu temporis effecere, vt non sane reliqui multum esset quod desideraretur. Quo in negotio præclara in primis enituit Galeni opera, quod libenter ac sine controuersia fateantur omnes, quippe cuius ope, atq; auxilio factum sit, vt præter receptas Hippocratis sententias, quas etiam ipsas expositionibus

illustrarit lucidissimis, multum etiam additum arti incrementi sit, dum nihil, quod quidem futurum vsui esset, intactum prętermittit, ininuestigatumq́ʒ, ac noua semper comminiscendo si quæ absoluendę arti deesse viderentur, reliqua ipse de suo addit, donec ingenij consecutus est bonitate, atqʒ indefessa quadam laborum tolerantia, vt artis huiusce absolutionem, operisq́ʒ totius quasi exædificationem acceptam illi referre debeamus omnes. Qui enim ante hunc viguere, sic rem excoluisse medicā videri possunt, vti operarij potius quidam, q̃ʒ architecti habendi sint, postq́ʒ artis ipsius cōditorem Hippocratem, quem recte ita appellarim⁹, quod is nobis primus scriptis innotuit, pauca hi atqʒ ea parui momenti, atqʒ adeo emolumēti tradidere. Quibus tamen habendæ gratiæ, ꝙ manus vt potuere cœpto ædificio porrexere auxiliares: danda venia, ꝙ materiæ melioris defectu, neqʒ se suggerente copia re destiterunt imperfecta. Porrò secuta Galenum ætas, multum illa quidem arti additum per se credidit scriptis tot, tantisq́ʒ ingētium voluminum aceruis, quum tamen interea alij cauillandi tantummodo quærunt ex antiquorum dictis ansam, alij præpostero studio solem illustrare contendunt, alij de lana disputant caparina, &c, vt ī prouerbio est, πρὸς κώρυκον γυμνάζονται, quasiq́ʒ sanè omnes actum agunt. Artem enim medicam, quæq́ʒ ad rem hanc faciunt omnia, quum diligentissime excogitata pertractasset Galenus, Hippocratis innixus ve-

ſtigijs, non facile poſteriorum quenquam repe rias, qui de ſuo quicquam addiderit, citius ille non multo ante iecerit fundamentum, tam maximam extraxerit partem, propè vt ſcribendi de his præripuerit poſteris occaſionē. At enim reperta poſt Galenum multa ſunt, de quibus ipſe nuſquam meminerit, quis negat? Illud etiam addo non ſolum plura, q̃ quorum nobis cognitionem tradiderit ipſe reperiri hac tempeſtate medicamenta, ſed etiā longe magis cæteris vſui expetita. Nam præter alia multa caſiam nunc, & ſenam, & rhabarbarum, & mānam ad tot ac tantos medicinæ vſus adhibemus, vti iā leniendæ ſoluendæq; aluo nihil his excogitari cōmodius poſſe videatur, q̃ partim ignorauerit prorſus Galenus, partim non ad eundem quem nos vſum adhibuerit, partim etiam non penitus cognouiſſe videri poſſit, vt quæ obſcuris quibuſdā veſtigijs perſecutus ſit: vt iſta demus omnia, illud tamen interim conſequitur ſolum, medicamētorum illi tantūmodo vſum defuiſſe quorundam, at tractandi hæc rationem modumq;, tum reliquas omnes medicinæ partes, harumq; ipſarum exactiſſimā methodum feliciſſime hūc ipſum excoluiſſe atq; abſoluiſſe, nullus eſt qui non lubens fateatur, in quo artis totius cardo verſatur. Vt enim omnia cognita quis habeat medicamenta, hoc nec neceſſarium eſt, & factu alioqui nō facile in tanta rerum huiuſmodi copia, ac diuerſitate, regionumq; ipſarum varietate, quarum aliæ alia ſemper proferunt medica-

menta, subinde quasi noui semper aliquid ædere ea certet, varias prodẽte natura rerum facies prioribꝰ incognitas. Quæ vt omnes omnia explorata habeant medici, qui fieri potest, temporibus adeo locisq́ distincti? Quis enim nesciat multa nos hac tempestate habere herbarum nomina, tum quædam in medicina instrumenta non antea visa, cõtraq́ plurima veterum medicorum, ætate extitisse quæ nunc deperierint omnia? Itaq́ vitio verti cuiquã non debet, si quis hæc non vniuersa teneat, quandoquidem satis sit ad medicinę rationalis captum perfectum artis ipsius viam ac rationem, numerisq́ absolutã omnibus tenuisse, experimento etiam quoad eius fieri potest, comprobatam, quæ tanquam pensum exigenda à medico sunt. Illa autem ex parte claudicauit semper medicina, semperq́ claudicabit. Semper enim natura quasi ludos faciẽs, sicuti rerum multarum nouas profert facies in lucem, aut eas latitare diutius non patitur, ita multis tetras offundit tenebras, atq́ atra immersas caligine cognitioni eximit nostræ. Sic fit vt nonnullorum nos, quę maiores nostri ignorauerunt, scientiam retineamus, æque diuerso huius etiam generis quędam explorata illis nesciamus, id quod retroactis etiam temporibus factum videas. Siquidẽ Galenus nec santalorum, nec caphurę, nec ambari, nec moschi, nec moschocargi, nec caryi indici, sed nec carnabadij, nec zaduræ, nec caryophylli, nec aliorum quorundã mentionem facit, facturus pro-

fecto si vel parum illi de his suboluisset, quæ recentiorum Græcorum, aut certe Arabicę familiæ inuenta sint. Quorum opera tametsi, quod negari non possit, aliqua facta accessio sit medicamentorum copiæ, hac tamen gratia autores adhuc dici medicinæ non merentur, siquidem is ille proprie habeatur, qui ratione innixus rectam curandi viam ac rationem aperit, quā experimento deinde comprobet: quæ Galeni in primis dos fuit. Quid enim quæso posteriores addiderunt, quod quidem artem cōstituerit ipsam? Num dissecandi eum peritia superarunt? Num inquirēdarum sanitatis causarum, signorumq; diligētia? Num morbi? Num sanitatem aut amissam recuperandi, aut præsentem tuendi artem exquisitius tractarunt? Nam q dicunt medicamentorum se proferre numerum posse intactum illi, hoc sane perinde est, ac si artis alicuius organicam quis supellectilem augere numero velit nouo aliquo allato instrumento, qd opus tamen ædat idem, atq; alia eodem exemplo dici de ijs potest, quicunq; tandem medicinæ officinam instrumentis aliquibus auxerūt, siue ea pharmaca fuerint, siue aliud tale quippiam, quorum omnium vires ac facultates non dissimiles prorsus inueniantur, atq; illę quibus Galeni quoq; tempestate quę vigebant medicamenta prædita erāt. Sic hos hac quidem de causa medicinæ autores nō appellabo, vt qui nihil eius nouarint, quod illam constituat, non membrum, non partem illius aliquam informarint,

non eius deniq; pomœria protulerint iusta, ex quibus huius tanquam corpus constet, ac coalescat. Sed vt eo vnde in ista excurrimus reuertamur, medendi artem Hippocratis tēpestate longam merito existimatam dicimus, ob pauca adhuc in ea inuenta, atq; obseruata. At huius ipsius aliquotq; deinceps seculorum beneficio factum, multum vt additum arti sit, dum pro se quisq; nititur ī melius promouere ipsam, & posteritatis semper negotiū gerit, donec continua quadam successione, & tanquā, ἐκ προσαγωγῆς, atq; assidua doctissimorum virorum diligētia, Galeniq; in primis studio & vigilantia, eo iam excreuerat ars, vt nihil merito adijci posse videretur. Nec longo iam artem hanc tempore alieno labore exędificatam parare nobis facile possem⁹, nisi perditissimorum sophistarum tricis, ac potius delirijs irretita, bene alioqui nata ingenia nimis multum in rebus inutilib⁹ insumerent temporis, cuius rei memoria etiam nostra inualuerat detestanda admodum consuetudo, in negotio præsertim scholastico, maxima meliorum horarum iactura, ac ingeniorum feliciū labe, vitæq; humanæ totius periculo. Quotus enim quisq; erat, qui non libens statim a` limine rei ipsius medicæ salutaret, quęstiones nugacissimas quasq; prorsus logicas, a` veraq; medēdi ratione abhorrentes, mera blateramenta, meras insanias amplecteret: donec annos abhinc haud ita multos fauente studiosis omnibus numine aliquo, suus redditus rei quoq; medicę ni-

tor fuit? Ducibus atq; antesignanis patrum quidem memoria Nicolao Leoniceno, nostra autẽ Matthæo Curtio, & Ioanne Manardo, alijsq; quibusdam, quorum semper factum superioribus annis, hodieq; fit opera vt recta nunc tendere ad medicinæ arcem possemus, deq; eius possessione alienos, ne dicã malæ fidei possessores deturbare, ductantibus nos ad id antea, per confragosa loca, senticetaq; erronibus quibusdam, & tenebrionib9. Nimirũ eiusdem farinę erant qui Galeni quoq; tempestate artem per se breuem, longam erroribus seductionibusq; faciebant, quum licuisset circunscriptis ambagibus omnibus, nugisq; ac supplantatis constanter rebus his omnibus quæcunq; tandem illuc tendẽtibus, lubricum parare lapsum consueuerunt: veterum industria breuiorem effectam artem, breui quoq; tempore adipisci, tum si quid factũ reliqui videretur superaddere nõ magno negotio, quod sentit Galenus his verbis in libello, Quod optimus medicus idem sit philosophus. καὶ τοί τόγε, ὑστέροις τῶν παλαιῶν ἡμῖν γεγονέναι, καὶ τὸ τὰς τέχνας ὑπ᾽ ἐκείνων ἐπὶ πλεῖστον προηγμένας παραλαμβάνειν, οὐ μικρὸν ἦν πλεονέκτημα. τὰ γοῦν ὑφ᾽ ἱπποκράτους εὑρημένα χρόνῳ παμπόλλῳ ῥᾷστον ἦν ἐν ὀλίγοις τοῖς ἔτεσιν ἐκμαθόντα τῷ λοιπῷ χρόνῳ τοῦ βίου πρὸς τὴν τῶν λειπόντων εὕρεσιν καταχρήσασθαι .i. Atqui lõge nos q̃ veteres isti meliori sumus conditione, ꝙ nasci nobis post eos contigit, quodq; artes ab eis plurimum prouectas accipimus. Certe quidem nõ magno ne-

gotio possemus intra paucos annos, quæ ꝑmul-
to tempore ab Hippocrate inuēta sunt, edocti,
quod superesset vitæ, id ad reliquorum inuen-
tionem conferre. Quam sane animi cogita-
tionē vnus explesse Galenus videri merito pos-
sit, reiq́ huic extremam imposuisse manū, quā-
tum quidem ad artis huius summam attinet, &
necessariam operis totius absolutionem.

GALENI ENCOMIVM IVLIO ALEXANDRINO ME-dico Tridentino Autore.



Vicunq; optime olim de rebus humanis meritos viros nouis ſubinde laudibus ornandos eſſe cenſent, rectiſſime mihi iudicare videntur, cõmilitones ſtudioſiſſimi: ſiquidem ita fieri demũ poſſe video, vt nec illi merito laudũ ſuarum fraudẽtur præconio, & ingentes præterea ad eorum præclara imitanda opera in nobis ex hoc ſtimuli excitentur. Itaq; maiores noſtri cũ pleraq; alia, tum illud ſapienter in primis inſtituiſſe videri poſſunt, quos accepimus in præclarorum virorum dictis, factis celebrandis eiuſmodi ſemper fuiſſe, vt in conuiuijs eos id facere non pigeret, in concionibus, in theatris, in funeribus ipſis, vt & gratitudinis in eos ſuæ hæc nullo non loco argumenta exhiberẽt, & ad optime inſtituendam iuuentutem his tanquam fomitibus, atq; incitamentis paſſim vterentur, ornatiſſimorũ probatiſſimorumq; ſemper hominum laudationibus. Cuius ſane rei tãta eſt vis, ea dignitas, vt ſi quos forte contraria delectarint, quos iuuerit in eos, quorum ſummis extollenda erat laudibus gloria, pro his male dicta congerere, male ſemper hos multatos

accipiamus, nec ante leuari pœna potuerint, quàm admissi eos pœnitentia cepisset, & priorem accusationē laudando quasi retexere fuissent coacti. Qua de causa Stesichorum legimus non ante luminum vsum, quem maledicēdo amiserat, recuperasse, quàm Helenę criminum recantatione composita. Quod ne sibi idem cōtingeret apud Platonem veritus Socrates, quàm timide aduersus amorem dicturus pronuntiat: prorsus vt adoperto id propter verecundiam capite faciat. At idem quàm non timide, immo vero quàm læto vultu, animoq́ palinodiam de hoc suam illam molitur: Equidem quum proposita mihi hoc tempore esset illiusmodi dicendi ratio, non eo inficias difficilem mihi, ante oculos subito versatā esse, de quo nam potissimum dicerem deliberationem, tanta visa mihi est clarissimorum virorum copia ea dignitas, vt quo me verterem plane nescirem. Qua tamen ex copia eos deligendos censeo, in quibus nihil non maximum atq́ insigne spectetur, ad quos quasi ob quædā exēplaria optima conformare se adolescentes possint. Et alij quidem alios, nos quoniam professione medici sumus, medicos quoq́ in primis laudemus, quo in genere duo potissimum extitere ætatum, ad hoc vsq́ tempus omniū suffragijs comprobari, qui medicinæ semper principatu digni habiti sunt, Hippocrates & Galenus, quorum alter qualis fuerit quantusq́, satis declarāt deorum, quos illi vetustas honores instituit. Alter porro tātum arte ipsi addidisse, tam

eam illustrasse creditus est, vt nisi medicinæ is diu iam multumq; laboranti medicinam adhibuisset, fuerim⁹ operam omnes semper lusuri, vt iam q̄ ille alter legitur, q̄ intelligitur, q̄ eum ex illo fructum cupimus, quem sentimus, hoc Galeni totum sit, cuius vnius opera tanquā certissimi alicuius deorum interpretis factum est, vt multis olim adoperta īuolucris oracula illa, (nam ita merito appellentur Hippocratis scripta) luce nobis ipsa clariora essent. Ac de Hippocrate quidem alio loco dicam cōmilitones, & ita dicam, vt & iustus illi à nobis semper prębitus honos videatur, & maximam tamen huius gloriæ partem, sibi alterum hunc vendicare ostendam. Nunc de Galeno tantum, nec tamen omnia dicemus, q̄ verear ne & immensi id operis cuiusdam sit, & parū propria ex nōnullis, atq; aliena potius quęsita videri laus possit. Itaq; solida illius quædam, & in quibus vera in primis versatur gloria, q̄ poterimus diligēter bona enumerabim⁹, si qua alterius generis sese offerent, de his pauca, & modice dicemus: quanquam ne in his quidem parum huic gloriandum sit si libeat, vt quæ adeo illi non pœnitenda contigere, vt etiam gloriosissima accidisse videri possint. Iam primum enim patria illi Pergamum fuit. Asiæ vrbs ea est, Regum olim potentissimorum ditione clarissima, opibusq; ac præstantium semper ingeniorum frequētia affluens, in qua cęlebre fuit Æsculapij dei medici fanum, ne iam quæ de excellētium in primis

virorum ortu commemorantur, quorum natalibus fauisse semper numen aliquod creditur, non huic quoqꝫ adfuisse videri possint. Par est enim vt in qua deus colebatur medicus ciuitate ortus, summus postea futurus ipse medicus, propitium sibi huius nascens habuisse numen credatur, id quod clarissimis deinde somniorū argumentis cōfirmatum est. Hanc igitur celebrē sortitus patriā, celebratiorem ipse profecto tot tantisqꝫ æditis præclaris tam virtutis, q̄ꝫ ingenij operibus reddidit, ex qua quum non sane pauci prodierint illustres viri, ex nullo tamen maiorem q̄ꝫ ex hoc vno gloriam sensit. Nā qui sunt quæso, quos tam Pergamū nobilitasse sciam?, q̄ꝫ Galenum; nisi si quis forte hac in re speciosa Attalorum regum nomina ꝑponenda esse contendat, in quo ego diutius non disputabo. Fuerint enim illi clarissimi, fuerint etiā de Po. Ro. bene olim meriti, appellentur sane` Attalica prætiosissima quæqꝫ, tantum tamen illi nominis, tantum gloriæ, quo de nunc agimus, nūquam patriæ suæ addiderunt, neqꝫ additum cōfirmarunt. Quanto enim magis opum ac diuitiarum gloriam ingenij anteit fama, quantoqꝫ hæc illa semper habetur diuturnior, tanto profecto is in concilianda patriæ suæ gloria, alios præstitisse existimandus est. Itaqꝫ merito fit vt illorum temporis diuturnitate prope` iam obsolescat nomen, nedū patriæ ob illos credamus posteritati nomen commendandum. At Galeni monumenta quoties leguntur legentur'ue,

clegentur autem, & ab hominibus assidue versabũtur, nisi me spes optima fallit, dum bellum erit nobis aduersum morbos cõstitutum) toties huius vna depredicabitur patria, & post collapsa quoque mœnia, æquatasque solo domos vigebit, vt quod Stagiris Aristoteles fuit, qđ Athenis Plato, quod Solis Chrysippus, hoc Pergamo Galenus fuerit. Qui sane viri omnes plus semper præclaro nomine suo patriæ attulerũt, quam ex ea acceperit ornamẽti ac gloriæ. Et huiusmodi quidem Galeno patria contigit. Patre autem natus est eo, qui probitate, iustitia, temperantia, humanitate, a sui temporis hominibus supra philosophos omnes insignis haberetur, & ad extremũ vsque Geometriæ, Architecturæ, Logistices, Arithmetices, atque Astronomiæ progressus fuerit. Sub quo intra priuatos parietes, quum primum per ætatẽ licuit, domestico vsus præceptore grammatices deposuit rudimenta, in qua breui adeo profecit, vt Geometriæ, Mathematicarumque disciplinarum omnium dignus iam haberetur, qui animo concipere scientiam posset. Quæ eodem præceptore, atque magistro parẽte nimirum ipso adeptus omnia est, si quid id ad doctrinæ fortasse perfectionem facit, sicuti certe facit, optima & ea quidẽ fideliter in primis iecisse fundamenta: quod a quo nam quæso melius proficisci alio, quam a parẽte potuit ipso? Quo factum etiam fuit, vt non cõtemnendum ex his in omni vitæ reliquæ tempore fructum ceperit. Atque hæc ille intra pueritiæ adhuc an-

nos est assequutus, quibus veluti munitissimo clypeo contra omnium iniurias tutus, intrepidusq; philosophorum ingressus scholas, patre hic quoq; monitore, non idem sibi quod philosophantium vulgus facit, peccandum putauit, qui mancipiorũ ritu nullo plerunq; habito delectu, quam cuiq; sors tulerit, huic se quàm primum sectæ adijciunt, à qua tempore ipsi aliquo post quum consumatior attulerit ætas iudicium maturius, quum voluntate plerunq; dissentiant, discedere tamen ob inanem quandam inconstantię, quam de se metuunt, suspitionem nefas sibi esse ducunt. At nõ ita ille, verum sumpto cum parente vna deliberandi spatio, sui tẽporis adijt philosophos omnes, Stoicos, Platonicos, Peripateticos, Epicureos etiam ipsos, & ex his eminentissimum quemq;, Stoici nempe Philopatoris, ac Gaij platonici, nec nõ peripatetici Æspasij discipulos: quos quum vna propè opera excoluerit omnes, Platonis pręcipuus tamen semper admirator, hunc sibi, non neglectis interim alijs, quem imitaretur proposuit. Hunc diuinũ vbiq; appellat ipse, huiusq; plurimũ semper tribuit doctrinæ, quem etiam cũ Hippocrate medicorumq; omnium placitis cæteris magis omnibus consentire, priuatim dicato rei huic claro in primis opere, apertissimum fecit. Neq; tamen tam ille deum sibi fecerat hunc, vt nõ eum aliquando quoties pro veritate pugnat, leuiter perstringat, in quo ne Hippocrati quidem pepercit ipsi; nam nec sibi optauit vnquã parci in

re duntaxat huiusmodi, quin liberum vnicuiq;
esset, quod quisq; sentiret, id p veritatis patroci
nio aduersus probatissimum etiā quemq; pro-
ferre, fuitq; hoc ei ī tota vita perpetuum. Nam
nec temere in quenquam inuectus est, & quum
inuectus, agnoscas hominem licet contra veri-
tatis hostes intrepide semper arma sumentem:
sic aduersus impudentissimum Thessalum a ve
ritate semper stetit, in multosq; sæpe alios argu
tissime simul ac verissime semper orationis suę
aculeos distrinxit, præceptoribus quoq; aliquā
do ipsis manus in hoc victas dare coactis. Quo-
rum quum semel vnum quēdam, Athenæi pu-
to sectatorem annos natus plus minus vndeui-
ginti, argumētationibus victū paulo in se acer-
bi9 exasperasset, dialectices ille cuius se laqueis
ī retitū teneri videbat, exprobrare huic cogni-
tionem ausus est, in quo inscitiā plane ipse pro
debat suam. Ita ne? Dialectices tu exprobrare
cuiquam sciētiam audebis? Tu veri falsiq; regu
lam, explicandarum quęstionum omnium viā,
diluendorum ambiguorum rationem, philoso
phiæ totius amplectendæ magistram, magistrā
vitæ, magistram studiorum, sine qua nec rectus
bene beateq; viuendi finis cognosci, nec scien-
tiarum explicari ratio potest, impune damnare
te credidisti? At non mehercule impune, nam
& tu in ignorātię ob id tenebris versabaris, & il
la, id est, artis huius beneficio vnius cōsecutus,
vt inter tot ac tantos, quos multis de rebus scri-
psit commentarios, nō fere quisquam qui mo-
do

do ingenuo illos, ac non calumniandi animo legerit, atq; intellexerit, reprehendendi arripere ansam possit, effecitq; vt si qui tandem reperti sunt, qui calumniari tentarint veritatis osores, magno ij postea cum dedecore, a candidis ingenijs, veritatisq; propugnatoribus turpiter victi iaceāt. Id quod intelligi in multis sane potuit, qui dum Galenum ipsum partim ingenij & doctrinæ ostentandæ causa, partim etiam petulanter incessere ausi sunt, aut ignorantiā aperuerunt suam, aut non satis ingenui in eruditos viros animi sibi ipsis inusserūt notam. Tam autem egregiam semper arti huic operā nauauit, vt non Aristotelis solum & Chrysippi dialecticos libros, qui in genere hoc præcipui apud omnes habentur, illustrarit, æditisq; in illos commentarijs explicarit, sed de suo quoq; multa addiderit. Nam & complicandorum syllogismorum figura quarta illa authorem habet hunc ipsum, & multa pręterea per se excogitata, scripta nobis reliquerat huc spectantia, cum alia quæ ipse quodam in libello recenset omnia, tum vero præclaros illos quindecim de demonstratione libros, si non thesauri potius appellādi sunt, in quibus aliam ingressus demonstrandi viam ob aliarum cum alijs, atq; inter se etiam plerūq; sectarum de re hac dissidia, ad inconcussam illā ac sibi ipsi vndiquaq; constantem Geometricarum demonstrationum rationem artem trāstulit hanc: quarum ille exercitationem tanquā hęreditario iure a patre acceperat ipso, atq; adeo

ab auo proauoq́ quasi continua linea quadam per manus traditam. Quæ tametsi temporũ iniuria superiorum interciderint omnia, aut etiã, quod magis certe optandum sit, alicubi demersa lateant, aliquando tandem fauente studiosis numine aliquo ĩ lucem proditura: magnam tamen interea dedere nobis de se admirationem, expectationemq́ concitarunt eam, vt si quãdo tenebras effugerint, multa hoc in genere explanatiora, & quæ nunquam antea acceperimus, visuros nos speremus. Neq́ tamẽ hac solum ex parte philosophiam auxerat, sed multa eum præterea scripsisse, multa commentatum fuisse constat, quæ non est nunc enumerandi locus. Nam neq́ id hoc tempore agimus, vt quæ ille scripserit omnia recenseamus, & si quis est qui scire ista peruelit, libellum is habet ĩ quo librorum Galeni continetur ordo numerusq́. Itaq́ non iam dicam quot quantaq́ philosophię scripserit, quanta grammatices, quanta dialectices commentaria, quantum ipse in singulis propè artibus laboris scribendo absumpserit: tantum dicam, non sanè multos harum quoq́ artium ipsarum reperiri professores posse, qui eum scriptorum frequentia, in sua quisq́ arte, aut æquauerint, aut iam superauerint. Proferantur sanè hoc loco cum aliorum testimonia, tum Athenæi grauissimi in primis autoris elogium, de hoc ꝙ clarissimis verbis testatum in opere suo reliquerit, superatos ab eo scriptorum copia, antiquiores omnes, quibus ipsis ne dictionis qui-

dem elocutione habitus vnquam inferior fuerit. Quam vero illa diligẽter quoq; ac vere scripserit, vellem fieri t posset, vt examinatis vtrorumq; scriptis rem penitus inspicerem⁹ ipsam, sententiamq; ita demum ferremus. Nunc hoc nobis ne facere possemus eripuit temporũ iniuria, illa eadem quæ studiosis omnibus inimica, hæc quoq; cum tot præclarorum virorum monumentis maiori certe ex parte deleuit: tum si qua sunt quæ temporis iniuriam illã effugere, illa quidem eiusmodi sunt, vt nõ nisi ab exactissimo iudicio, atq; ingenio profecta acerrimo, solertissimoq; videri possint. Sed sic leonem ex vnguibus, ꝙ aiunt, æstimemus, neq; tamen nõ cognosci ex ijs facillime potest ac perspici, quãtum ille ingenio, quãtum doctrina valuerit, in quibus non est veritus pro veritatis defensione eminentissimum etiam in philosophia quemq; accusare: sic de triplici animæ principatu pro Platone contra Aristotelem stetit, deq; generationis primordijs nostræ cõtra hunc ipsum defendit Hippocratem: sic Chrysippum acutissimum illum ignorantiæ plerunq; reum peregit, vt mihi iam mirari hoc loco subeat, quo nã tandem fieri pacto potuerit, vt idẽ tot negotijs abũde sufficere posset, idem quippe erratorum castigator acerrimus, idem rerum multarum inuẽtor acutissimus, idem disceptator subtilissim⁹, grammaticus idem, rhetor, dialecticus, mathematicus, philosophus, medicus: nec verbo tantum medicus, sed medendi idem vsu exercitatis

simus, ingentiq́ꝫ ægrotorum frequentia a` studijs plerūq́ꝫ distractus, tantum tamen industria & vigilantia consecutus est, vt tot ille artes ediscere, tot excolere scientias vnus potuerit, atq́ꝫ has ipsas non tantum lectione, quod ipsum satis esse occupatissimo poterat, peragrarit, verū etiam libris tot, tot ac tantis lucubrationibus, tam exactis, tam elegantibus illustrarit. Quæ vt facilius curare & perficere diligentius posset, cętera præ vna rerū cognitione parua semper esse duxit omnia, gloriam, honores, dignitates, diuitias, vt hoc loco non hominis tantum amplexemur doctrinam, sed etiam exosculemur probitatem, philosophiæq́ꝫ in eo partem illā non postremam, quæ sortita a` moribus nomen fuit, agnoscamus. Nā quem esse alium philosophū dicemus hunc, verum illum & legitimum, nisi eum esse dicemus, qui & diuitias nouerit vsq́ꝫ eo appetere vt rerum sufficere possit necessitati, & contemptis plerunq́ꝫ honoribus, contempta gloria æquum se, ac beneficū in vniuersos præstet: quarum ipse diligentissime semper expleuit virtutum officia. Nam ne medicos quidem eos censendos existimat, quicunq́ꝫ pecuniarum studio addicti seruiunt, & non nisi spretis constanter his ipsis medicum institui legitimū posse arbitratur, nec fieri posse vt accumulādis opibus, magnæq́ꝫ adeo exercendæ arti animū quis accommodet, ac contingere necessario vt altero decidat, qui vehementius assequi alterū conetur. Medicis expetēdam diuitiarum esse pos-

ſeſſionem, quatenus vſus poſtulet tãtum, neceſ-
ſitasq́ corporis. Hoc eos non verbo tãtum ſen-
tire ſed re quoq́ docere ipſa debere. Nec ſanè
non eſſe plerunq́ impedimento etiam dignita-
tes quominus artem adipiſci hãc, adeptiq́ iam
recte eam exercere poſſimus. Neq́ enim in alia
diſtractum eſſe negotia oportere eum quidem,
qui medicæ nauare operam arti decreuerit, rei
adeo per ſe immenſæ, vt pręclare agi nobiſcum
exiſtimare debeamus, ſi vel in primo ſenectutis
limine hanc ipſam, quod ſatis ſit, fuerimus aſſe-
cuti, nedum vacet aliјs, ac diuerſiſſimis diſtine-
ri occupationibus. Quapropter fugienda hæc
omnia, cumq́ his ebrietates, comeſationesq́ ni-
mias illas turpiſſimas libidinũ, ventrisq́ & gu-
læ illecebras. Quę ipſe omnia re deinde aſſidue
comprobauit, factumq́ ob id, vt quum multa
propter huiuſcemodi ĩ vita errata, vel qui opti-
mo à natura præditi corporis temperamento,
habitudineq́ ſunt, aut citiſſime vitam finiant,
aut morbis aſſidue obnoxiј morte qualibet ob
infeſtiſſimos plerunq́ cruciatus miſeriorem vi-
tam exigant, ſæpe etiam ſenſuum corporisq́ to-
tius functione amiſſa, ac diſtortos gerẽtes artus
ſpectentur, litis etiã Homericis illis deformio-
res: ipſe tamen vna fretus viuendi frugalitate
ac ſalubris tectus artis præceptis, integris ad ex-
tremæ vſq́ ſenectutis calcem ſenſibus, corpore
quantum quidem ei per ætatem hanc licuit, in-
tegro peruenerit, idq́ non perinde exactam ab
initio nactus, aut ſanitati commodam tempera

furam, coactusq; aliquãdo inter extremos ado-
lescentiæ annos, ętatis in hoc lapsus tyrocinio,
& lubrica allectus æqualium suorum consuetu
dine, non spernenda quædam incidere morbo
rum genera. Quæ quum vir deinde factus, dili-
genter inspecta animaduertisset, magno ac con
stanti animo cupiditatibus omnibus nuntio re
misso, seq; ipso superato, vitæ efficit temperan-
tia, vt nec temere vnquam post, præter diariam
ob vigilias ipsas febriculam, aut grauiorem ali-
quam persenserit ægri corporis molestiam, aut
animi succubuerit perturbationibus, quas ipse
omnes nõ secus ac quasdam ardentissimas ani-
morum faces, & tanquã pestes infestissimas for-
tissime semper effugit, alijsq; vt idem facerent,
præcepit non grauate scriptis ad hasce propul-
sandas affectiones remedijs diligẽtissimis. Qui-
bus ipse omnibus vitæ ornamentis amplissime
instructus, nõ iam satis habuit, tot & tantis ani-
mum artib⁹, tot scientijs exornare ac triplicem
philosophię totius campum studiosissime exco
lere, omnesq; omnium ĩ eo philosophorum fa-
milias cognoscere, tum multa bene morati, op-
timeq; ad humanitatem omnem instituti ani-
mi de se documenta præbere. Maius etiam his
omnibus adiunxit opus, negotium maius ĩ rem
ingressus medicam, qua vna in prouincia multi
quum toto vitæ suæ spatio indefesse elaboraue
rint, hactenus tamen profecere tantum, vt hui⁹
alij partem vnam tãtummodo aliquam, plures
alij pertractarint; perfectam autem, & numeris

absolutam omnibus medicinam, præter hunc adeptus adhuc dici possit nemo eorum quidē, quorum aliqua extent, quæ legi tractariq; possint. Quod ne aliter a me ac sentio, ac nimis pro Galeno ambitiose dictum existimari possit, expendatur superior hac ætas, vnus erit qui id prę stitisse videri possit Hippocrates, atq; hic tamē ipse multo infra perfectam medicinæ totius absolutionem substiterit. Neq; hoc nūc dico multa illum obscure scripsisse, multa nullo adhibito ordine, indemonstrata, indecisaq; plurima. Illud dico nonnulla haberi ad rem perficiendā medicam necessaria, de quibus ipse prorsus siluerit: nonnulla quæ non ad extremum perduxerit, quæ ipse absoluerit omnia, & diligentissime perfecerit Galenus: sic curandorum vulnerum aliorumq; permultorum viam expleuit, ac rationem. Et de arteriarum pulsibus nihil quū pertractasset Hippocrates, siue nihil hoc ad medicinam pertinere ratus, siue id etiam rem ignorans omnem fecerit, vniuerso horū prolixe confecto ipse opere hac quoq; ex parte medicinam auxit. Ergo deest Hippocrati aliquid? deest cōmilitones, deest, neq; tamen propterea non magni semper facere illum debem9, atq; haud scio an supra omnes venerari ac colere: multis est ille nominibus alijs suspiciendus, medicinæ instaurator totius ac propè parens, cultor, pręmōstrator, magister, præceptor, dux. Illum igitur venerabimur, hunc amabimus: illum colemus, hunc amplexabimur; ex illo oracula petemus,

vberiores ex hoc percipiemus fructus. Age ve-
ro inſecuta Galenum ętas, in quo eum tandem
ſuperaſſe credi poteſt? Arabas credo allegabũt
aliqui, aliosq́ huiuſce farinæ ſcriptores, quorũ
omnium quum non omnino conuellendã au-
thoritatem exiſtimem, hactenus tamen eos pro
gredi ſinam, dum ſciãt, nihil eſſe propter quod
artifices cenſeri eximij quidam debeant, vt in
quibus multa deſyderentur, nõnulla ſecum pu
gnãtia ipſa, ſeq́ mutuo collidẽtia, plurima aper
te falſa reperta ſint. Solus igitur lucem arti attu
liſſe credit, atq́ vnus perfeciſſe, quippe qui ſum
ptis ex Hippocrate ad rem hanc quibuſdam tã-
quam fomitibus, reliqua ipſe pepererit omnia,
formarit, conſtituerit, abſoluerit, quam ille ag-
greſſus eſt dijs auſpicibus, ijſdemq́ monitorib⁹
prouintiam. Nam quum liberalium artium o-
mnium, ac philoſophię in primis ſtudio detine
retur, certiſſimis interim monitus patris inſom
nijs, aut deorum potius oraculis medicam ei ſu
ſcipiendam artem iubentium, eiusq́ committẽ
tium illam fidei & tutelæ mandantium, vatus
deorum, vt erat, voluntati religioſe parendum,
totum excolendæ deinde arti huic animũ adie-
cit. Quo in negotio vſq́ eo ſciendi cognoſcen-
diq́ deſyderio flagrauit, vt ex aſſiduo ſcribendi
legendiq́ labore, valetudinis etiam interdum
contraxerit nonnihil: nam & diaria aliquando
correptus eſt febre ob vigilandi conſuetudinẽ,
& ob hoc ipſum quum iam conſiſtere ætate cœ
piſſet, ſomnum amiſerat. Et poſtea miramur ſi

quisquam per tot ac tantos labores, tot vigilias ad summam euaserit aliquando doctrinæ arcẽ? Desinamus mirari iam, & ignauiam potius dãnemus nostram, qui oscitantibus ac pene iam dormitantibus rerum nobis sciẽtiam infusum iri speramus diuinitus, quumq; ad senectutis limen peruenimus indocti, annorumq; meliorũ meliores quoq; horas ambiendis honoribus, inq; alea ac luxu altissimo perdiderimus, tẽpus demum defuisse nobis causamur, si dijs placet, quum contra audire ex illo interdum licuisset, multo plus nos in senectam doctrinę allaturos, si quod frequentandis diuitũ ac primatum ædibus, exercendisq; ludis tempus terimus, id nos euoluendis totum cõscribendisq; libris tribueremus, itaq; nauandam his assidue operam esse, acuendumq; tolerantia potius quadã percipiendis artibus ingenium, & defecatum illud afferẽdum. Neq; enim mentis pręstare puritatem posse corporis obesitatem nimiam illam, & pecudum nos more victuros, atq; a musis alienos, si ventri dediti meliorum cogamur artium studia vix aut nunquam attingere, aut non satis pure, neq; vt decebat, religiose ea attrectare. Cũ hæc esse diligenter ita custodienda, tum illud cauendum in primis, ne quis q͂ bene ea plerosq; nummatos reddat, ac non vna potius sibi proposita in genus humanum beneficentia insudandum sibi medica in re existimet, atq; hac ille omnia eodem semper fecit, quo præ se tulit modo infesto ac plane hostili insectatus medicos animo

capi præmijs solitos, nec sane magnã vitæ suæ rationem ducens, quin spretis voluptatum omnium illecebris, quoscũq; subiret alacri semper animo labores, vnius demerendi generis humani publicæq; vtilitatis causa. Itaq; quantos hũc exantlasse labores dicemus, dum singulas medicinæ scrutatur partes, ac membra format, mandatq; literis omnia? dum humanis dissecandis membris dies noctesq; hæret, ac singillatim cũcta introspicit, viscera, artus, fibras, lacertos rimatur omnes, horumq; omnium naturã, vsum, situm, functiones perquirit? Non me pudebit commilitones hic id de eo dicere, quod hũc facere ipsum non puduit, vt a seruili interim hac in re officio manum minime abstinuerit, quominus rei huiusce totius inuestigandæ, ac perfectius cognoscendæ causa, incidẽdi ipse quoties difficilius aliquid explicandum occurrerat, munere perfungeretur, ob quæ hoc assecutus ille est, vt multa falso nobis a vetustioribus tradita recognoscere potuerit ipse, plurima quoq; de suo addiderit, ac primæ ei omniũ consensu deferãtur in hoc partes vel ab ijs, quos parũ interdum candido in eum fuisse animo constat. Iam vt veluti in transcursu quantum is ornamenti ac splendoris reliquis etiam medicinæ partib[9] attulerit, quãtumq; in hoc laboris impenderit videamus. Quis hoc vnquam melius quæso sanitatem deliniauit ipsam, morborum distinxit genera, signa, causas patefecit? Quis ægritudinũ tempora, tum quæcunq; prædici in his solent,

verius vnquã notis præterita deprehendit, præsentia notauit, futura prædixit: Qua in re nullũ vnquam illi, quod mirandum profecto sit, excidit iudicium pœnitendum, vsque adeo vt ob constantem firmamque semper de his prædictionem diuinatricis potius artis alicuius beneficio, apud rei huiusce imperitos, id assecutus crederetur. Quis vero medicamenta omnia diligentius inuestigauit: quem constat horum ipsorum perquirendorum tantum causa multa adijsse multarum gentium loca. Nam & Cyprum cognoscẽdorum metallorum gratia petijt, & in Syriã quæ Cœle dicitur, solius vt bituminis inspiceret naturam profectus est, & Lyciam aliquãdo vna tractus rerum huiuscemodi inuestigatione paruo præteruectus est nauigio totam, in Lemnum porro, vt an quæ de terra Lemnia tradebantur vera essent, præsens inspiceret, bis nauigauit: semel quum ex Asia Romam Imperatoris iussu proficisceretur: iterũ quum se in Asiã reciperet. Quam vero apte quoque, & concinne simpliciora hæc composuerit, summaque consociarit arte medicamina, locupletissimo declaratur Cæsaris ipsius testimonio, cõpositam a Galeno theriacen cæteris omnibus præferentis, quam sicuti diligentissime aduersus venenata omnia parandam docuit, ita perfectam venenorum tractationem de industria omisit, quod se nulla alia de causa facere apertissime testatus est, quam ne qua sceleratis inde grauioris alicuius ĩ homines admissi occasio præberetur, in quo quis

nõ eius exosculetur probitatem? Iam vero medicinæ partem, quæ semper habita potior fuit, sanitatis tutricem quis vberius vnquam, quis luculentius, quis absolutius tractauit? Nam de morborũ profligatrice parte nullus est qui hoc ignoret, qui non lubens fateatur à nemine illã nec felicius tradi potuisse, nec lucidius declarari, nec exactius perfici. Quarum planè artium, quum iacta ab Hippocrate semina tantum quędam essent, atq; ita iacta, vt siccissimæ cõmissa harenæ videri possent, ideoq; peritura omnino fuerint, nisi bonum perinde nacta fuissent agricolam, præclare cum rebus humanis ipsis, ac cõmuni gentium omnium salute actum existimare debemus, q ei⁹ sunt modi adepta cultorem, qui admoto sæpius aratro, adhibita occatione, sarritione facta, euulsis, extirpatisq; sentibus, ad meliorem omnia frugem traduxit, effecitq; vt ex latissime iam patentibus medicinæ campis, & agris floridissimis purissimam sibi demetere vnusquisq; segetem posset: quem modo non pigeat propriis eos ac minime conductis operis excolere. Quod qui fecerit, q̃ magnum is frugum inde sentiet prouentum? quot & quantos sibi ille totiq; humano generi decerpet fructus? q̃ maturos, q̃ dulces, q̃ non fugaces, neq; autũni demum tantum tempore maturescentes, sed solidos potius quosdam, sed nullo non tempore non loco prouenientes. Quæ quum adepti singula fuerimus, meminerimus nos accepta ea referre Galeno omnia debere, cuius tot & tãtis

ingenij monumentis, tam docte tam expedite conſcriptis voluminibus, velut paratiſſimis inſtrumẽtis perfectum eſt, vt latiſſime per omnes expatiari medicæ artis campos, & fructus inde nobis cæteriſq; oĩbus colligere poſſemus vberrimos. Qua in re qui eum ſcribendi commentãdiq; diligentia vicerit, ſcriptorum'ue in ſingulis prope artib⁹ librorum frequentia ſuperauerit, neminem inuenias'. Ad quingẽtos enim omnes ſcripſit, quot vix ſcribendo tantum abſoluere quiſquam, nedum meditari ſimul ac literis mandare potuiſſe credatur, quorum quum vix dimidia ad nos peruenerit pars, & ea mutila aliqua ex parte, mancaq;, quantam in eo res literaria fecerit iacturam nullus queat ſtudioſorum ſine ingenti animi dolore commemorare. Factum tamen bene ꝙ & potior relicta nobis horum pars eſt, nec iam temere extimeſcendũ ſit, ne hanc quoq; nobis ipſam vlla temporum eripiat iniuria, tot eam ſuſtinent fortiſſimi & literatiſſimi viri, tot vt formis diligẽter excudãt, laborant artifices græci pariter ac latini, vt ſpes ſit multa etiam per viros hoſce lucem iterũ acceptura, quæ modo alicubi lateant, ac non penitus deperierint: ita diligenter rimantur omnia, veſtigãt, perſcrutanturq;, oppida, ciuitates, bibliothecas, angulos in hoc excutiunt omnes, neq; id fruſtra: iam enim hac diligẽtia aliquot, præſtantiſſimorum authorum quorũdam opera in lucem nuper prodiere. Quod ſi quãdo in Galeno contingat, vt præclara quæ deſyderan-

tur tenebras aliquando euincant monumenta, quantum inde nos lucri, quas opes reportaturi sumus, vnum ego mehercle de demonstratione opus cum omnibus Midæ thesauris lubens cõtulerim, vt interim taceam quãti anatomici ac medici quicunq; desunt, quanti mathematicarum rerum æstimandi libri sint, quãti grammaticæ, rhetoricæ, dialecticæ, philosophiæ, aliarumq; artium omnium volumina. Quæ quanquam ille non in hoc scripserit, vt aut popularẽ sibi inde auram aucuparetur, aut aliquid demũ ex hoc gloriæ nancisceretur, quam ipse vt reb⁹ studijsq; suis inimicã auersatus semper est, vsq; eo vt amicos interdum rogatos voluerit, ne immodicis se laudibus onerarent, non tamen efficere potuit, vt non magnum propterea apud gẽtes omnes, ac nationes Galeni esset nomẽ: quãdo euocatum hunc ex Asia etiam Romam constat ab Antonino Cęsare vna nominis huius fama allecto, & tædio nonnunquam affectum, ac molesta quædam operam illius expostulãtium frequentia, quum vitæ ipse tranquillitate, atq; alto quodã literario otio posteriora omnia duceret, id quod vsq; adeo perpetuum seruauit, vt quũ Romę agere clarissima nominis operumq; suorum gloria celeberrimus posset, in patriam tamen q̃primũ redire maluerit, otium secutus neq; iam sit aliquando veritus, ne Cæsarem sequi in Germaniam cogeretur, armorũq; experiri strepitum, religionis apud eum vti cuiusdam excusatione. Scripsit autem quæcunq; scripsit,

aut exercendi ingenij commentandi'ue causa, aut deorũ ita monitus voce, aut ĩ senij obliuionem hoc sibi pacto thesauros constituens, aut iã amicorũ vt id faceret præcibus sæpius exoratus. Sic ĩ Hieronis, Eugeniani, Glauconis, atq; aliorum quorundam primariorum ac consulatium virorum gratiam multa scripsit, multa ẽt in communem amicorum studiosorumq; omnium vsum, quod eum adeo facere non piguit, vt voce vti interdum non dubitarit, humanissima illa, se vel vnius tantum gratia, quem modo veritatem obseruare cognouisset, dicturũ scripturumq; omnia: q̃ si ne is quidem repertus esset, sibi tamen interim, ac musis cani iusserit. Quantus porro in scribendo pudor, quę fides, quæ ingenuitas? vt & sincero nihil fingat, & cãdido sua vnicuiq; tribuat animo, & verecunde quædam pronuntiet. Nam & comandi fucandiq; artem, atq; huiusmodi alia non nisi pauca prius quædam præfatus tradidit, multaq; sæpe ingenue rettulit Hippocrati, alijsq; accepta, & si quam aduersus aliquem instituit pro veritate contradictionem, non inuersis, vt pleriq; solẽt, nec aliter atq; habent, recitatis aduersariorum verbis, id eum facere videas. Ad hoc summa in eo eloquentiæ vis, oratio & fœcunda & elegãs, non perplexa, non accersita, sed sponte lateq; fluens, admiranda quędam eloquendi quęcũq; animo concepit facilitas, ambiguitatum enodatio, quæstionum dissolutio, doctrinæ explicatio, vere hoc dicam commilitones nõ multum

mihi a` viua illa, quam tam esse doctrinæ accipiendæ commodam affirmat ipse, abesse magistri voce visum vnquam fuit Galenicum dicendi genus: atq; vtinam quàm patrio sermone valet, tam valeret nostro, ac non multum venustatis, gratiæ multum subito amitteret latinus factus. Quod in interpretum suggillationem minime dictum intelligi volo, ac non in arduam potius quandam interpretandi difficultatem, figurarū diuersitatem, & linguę verborum in illa copiā, paupertatem in hoc. Verum sic quoq; quàm non impolitus, neq; inelegās, immo vero quàm nitid⁹, quàm lacteus totus fluit: vt quicunq; posthabito hoc arabum malunt, atq; horum similium quorundā meram sequi barbariem, hos ego eo natos ingenio existimem, vt obscura manifestis, perplexa explicitis, aspera nitidis, tenebras luci præponere eodem exemplo possint. Neq; vero scribendo solum, sed etiā dicendo differendoq; adeo semper valuit, vt propositis ī æde pacis de more quæstionibus publice sæpissime ad omnia responderit, idq; iuuenis, quum Romæ degeret, nec dicendo differendoq; tantum, verum factis quoq; clarus in primis habit⁹ est semper, ac medendi operib⁹ exercitatissimus. Quę quū maiore quàm vel optasse quisquam audeat successu inchoasset, felicissime semper in vniuersa vita ad extremū perduxit, perficiendæ hac quoq; ex parte, atq; absoluendæ medicinæ causa. Hic iā quid attinet tot sanitati restitutos ægros enumerare, quosdam etiam medicis prioribus eō

clamatos:

clamatos? Recitetur vnum Antonini Cæsaris elogium, quo medicorum eum primum ac solū philosophum iudicauit: recitetur & illud quo ei, si quid accidisset, Commodi filij salutē tuendam commisit: grauia habeantur hęc, ac fidem non eo faciant, ꝙ Cæsaris sint, sed ꝙ ab eo profecta Cæsare, qui ob morum probitatem philosophi appellatus semper sit, hodieq; appelletur cognomine. Proferantur nihilominus & Faustinæ hic grauissimę fœminæ, & Boethi viri cōprimis clari, ac multorum præterea testimonia. Repetātur decreta illi hoc nomine præmia nō pœnitenda, habitiq; honores ab hominibus in primis nobilibus, quoties de hoc sermo inciderat, re magis ipsum q̄ verbo medicum declarātibus. Nec tamen interea non & infimæ persæpe conditionis, extremæq; notæ homines persanauit, quum pleriq; non nisi visere dignentur optimatium ędes, ęgros si qui paulo humiliore sunt fortuna, indignos iudicant quibus manū admoueant, quum potior tamen in his exercendæ artis medicæ nobis sese facultas offerat, contraq; in diuitibus fiat, vt ob nimiam plerunq; animi mollitiem, siue quia parere interdum ijs, quibus imperare potius debebamus, cogimur vix aut nunquam aut tuto satis præditi quicq̄, aut legitima adhiberi curatio possit. Quapropter is quum diuites plerunq; homines, imperatores quoq; ipsos sanauerit, medicumq; in hoc præstiterit generosum, nihil illis præter decorē assensus, nihil blanditus, pauperes tamen idem

& rusticos sæpenumero adijt curaturus, ratus id quod res erat, non minorem adhibendã esse his hoc in genere curam, quibus æqua lance iustissima olim rerum parens natura indidit sanitatis semina. Sunt hæc quidem commilitones maxima prẹsto amicis, præsto omnibus esse, nõ vulgus fastidire ipsum, non pauperes, summos, infimos, cunctos, quos vno tempore posset, maximo fructuosissime artis beneficio demereri. At illa quãto tamen maiora? eadem in reliquũ tempus omne ad posteros trãsmisisse dona atq; ita diuina hæc propagando munera, futuris seculis omnibus consuluisse, vt eosdem percipere vniuersi possent tam magnæ artis fructus, idem sentire omnes emolumentum, vt iam quod tot post Galenum mortalium milia aut sanitatem egregie tutata sunt suam, aut amissam eam recuperauere, ac quotidie recuperant, idemq; in posterum facient, hoc Galeno totum referendum acceptum sit, cuius propè vnius effectũ est opera, artisq; tam salutaris dono, vt tot olim vixerint, hodieq; viuãt mortales, ac victuri toto ẹuo sint, perituri profecto, nisi huius ipsius ab ipso nobis traditæ artis beneficio vitæ effugissent periculum, atq; ex ipsius propè Orci faucibus interdum erepti fuissent. Hoc vero est quo nullũ excogitari maius beneficium possit. Hẹc munera quæ nullis tam magnis decretis præmijs, honoribus nullis pensari satis queant. Qui ciuem in prœlio seruarint laudantur, corona donãtur ciuica, quas Galeno laudes, quas dignas satis co

ronas excogitabimus? qui tot hominum seruarit millia, seruaturusq́ imposterum sit, vel sic vita functus. Quantis Thesei facta à grata illa vetustate laudibus extolluntur? Herculis vero res gestæ tāti æstimatæ sunt, vt inde eū cœlo quoq; asseruerint, qua nam alia de causa? Certe nulla, nisi ob domitas feras, profligata monstra, viarū obsessores interemptos. At quanto hoc de Galeno dici verius potest, qui tot ex medicina mōstra sustulerit, feras domuerit, latrones oppresserit, nisi vero maius esse quispiam arbitretur, clava ad hoc vti, q̃ calamo insectari, atq; ad extremum confodere, corporisq́ q̃ ingenij viribus conficere: aut nō Scyrone quo'uis, atq; Hydra immanior habendus sit impudentissimus Thessalus, tanto hercle scelestior, quāto atrocius crimen est frequētissimas atq; expeditissimas tam salubris artis vias, q̃ rupes, aut deserta quædam loco obsedisse sæuissime in hominum genus omne grassantem: quem ille non minore q̃ terrificum aliquod monstrum, atq; eccetram opera de medio sustulit, aliasq́ cum hoc vna non dissimiles pestes. Vereor commilitones ne quod dicturus sum, aliorsum atq; dictum à me fuerit, accipiatur: quocirca timidiuscule, vere tamen dicam, si beneuolo in hunc animo, si non ingrato reperiri vellemus, decreta illi pręmia ampliora, decretos ampliores ac supra hominē honores oportuit. Etenim si ob præclara quædam in homines merita relati inter deos multi sunt, si nulla re alia diuinum magis commendatur nu-

men, q̃ꝙ mortalibus benefaciat, ꝙ eos iuuet, non video quamobrem non & hic eorum prope dixerim, augere numerum debent, aut non illi saltē eximij aliqui honores decerni, qui nō solum dū vixit iuuit ipse mirifice semper mortales, sed in perpetuum etiam iuuit, medicis artibus ipsis, quibus nullæ humano generi nec vtiliores vnquam nec fructuosiores repertæ sunt, tam diligēter excultis, illustratis, patefactis, prope ab interitu ipso quo iam spectare videbantur, reuocatis, nullis vt perficere id posset detrectatis laboribus, nullo territus vitæ dispendio, nulla vnquam præmiorum allectus spe, vna ductus omnium vtilitate, tot his additis ad pleniꝰ eas perficiendas artibus alijs, tanto scientiarum omnium veluti agmine, sine quibus medicum absolui optimum illum minime posse videbat. Quāobrem cōmilitones clarissimi, (uos enim appello, quicūq; rei medicæ studiosi estis) quos quo maiores ex hoc indies percipitis fructꝰ, eo grauiore in hūc esse animo, ac propensiore quadam q̃ cæteros omnes, voluntate expedit, cum ob tot exhaustos exantlatosq; labores, paria cū eo facere minime possimus, nullusq; nobis declarandi animi nostri relictus locus alius sit, q̃ si quod vnū restat, aduersus calumniatores fuerimus eum cōstantissime semper tutati, a situq; ipsum & puluere, si quid factū nobis in hoc reliqui est, vindicemus, incumbere in id diligentissime debemꝰ, vt & defensum se gaudeat, & præclara illa ingenij sui ac doctrinæ monumenta,

fœtus suos sinu exceptos nostro, si quis illi⁹ manib⁹ sensus inest, foueri à nobis sciat. Quod vt diligenter semper faciamus, rei huiusce autores tanquam duces fortissimos, atq; antesignanos habemus, nec cōtemnendos, nec paucos. Quorum haud ita pridem diligētia factum, hodieq; fit partim vt barbarorum exemptus prædæ, in qua aliquot sęcula captiuus perdurauerat, ac vere Latio restitutus totus nunc niteat: partim vt explicatiore iam appareat frōte, cunctisq; eum euolutum integumentis, cunctis latebris ac recessibus nudatū spectare liceret. Habemus autē Leōicenos, Curtios, Manardos, Linacros, Copos, Fracastorios, Montanos, Odos, Vuessalios, Ruellios, Andernacos, Fuschios, Bresauolos, Mattheolos, Felicianos, Syluanios, Agricolas, Gandauos, Villanouanos, aliosq; eiusdem familiæ permultos, quos nos authores secuti summa semper niti ope debemus, vt quantum in nobis est, nihil reliqui faciamus, quominus nouis subinde locupletatus accessionibus & ornamentis auctus, hac se demum renatum tempestate lætari iure meritoq; possit. Quòd si seculis aliquot superiorib⁹, quum nullus bonis literis honos habebatur, nulla grauia, ac pmulta desyderabantur viri huius monumenta, & quæ facta reliqua fuerant, ob fœdas quasdā cicatrices, atque alte adacta vulnera, vix à quoq; agnosci poterant, non tamen vsquequaq; defuere, qui opem illi enixissime semper tulerint, ab interituq;, vt poterāt, vindicarint: quid nos hac

facere literarum claritate oportet? hoc tempore, hac hominum luce, quum tot clarissimorũ virorum studio, & diligentia factus emaculatissimus est, excussoq; situ & carie, ac fœdo illo depulso senio, pro his florentissimã vndiq; induit iuuentam quandam, nõ illum exosculabimur? Non dies versabimus ac noctes? Nõ ditiorem etiam si possumus sedulo efficiemus? Nobis vero diligentissime semper efficienda hęc omnia, vnde multum nobis ornamenti, emolumenti multum sperãdum sit, & si quid modo rei huic afferre auxilij possumus, fuerim⁹ bonorum ita virorum officio functi, remq; auxerimus literariam: sin nihil à nobis ad eorum iam addi diligentiam posse videbitur, hanc tamen prompti in bonos viros animi significationẽ nostri argumentis his abunde omnibus testatã fecerimus.

Τέλος.

REGISTRVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N
O P Q R S T V X Y.

Omnes sunt quaterniones
præter Y, duernio.

Impressum Venetijs apud Iuntas.
Anno M D XLVIII

ERRATA SIC CORRIGITO

In præfatione folio.2.à tergo linea.18.patria,paria,
Folio.5.linea prima ut absolute,ut absoluti.
Folio.21.linea.25. etiam. uiam.
Fol.36.lin.7.ut fiunt,ut fiant:Ibidem lin.12.ac, at.
Fol.38.lin.15.geminasgeminos,
Fol.40.linea 6.non, eo,
Folio 60.à tergo lin.16.fuluum, flauum,
Folio 63.lin.22,agnus igitur,Agni igitur semen,
Fol.78.lin.18.remedia, re medica,
Ibidem lin. 30. tantam , tantum,
Fol.80.à tergo lin.14. enim ꝙ, enim ut,
Fol.88.li. 7.reclamare perspectissime,reclamare rei pspectissimæ
Fol.115.à tergo lin.12.franca,franta,
Fol.119.à tergo lin,20.iuuare , innare,
Fol.127.lin.13.in iri, Ibi.à tergo lin.7.mediā medium,
Fol.134.lin.15.quorum, quorsum,
Ibi.à tergo lin.8.quā aūt, qua aurem,
Fol.139.à tergo lin.12.prætrahere, præualere,
Fol.144.à tergo lin.21, curā, curare,
Fol.147.li.17. quidem Hippoc. Sic quidē Hippocrates
Ibi.lin.30.quo, quod
Fol. 153.lin.12.indicium, iudicium,
Ibi.à tergo lin.10. suis, satis,
Fol.154.lin.13. postquā ,postq; ibi.à tergo lin.3.tam,tū
Fol.158.lin.14.illiusmodi istiusmodi,
Ibi. à tergo lin.5. cupimus, capimus,
Fol.164.à tergo lin. 22, Vatus, ratus,
Fol.167.à tergo lin.11. hoc, hac,
Fol.170 à tergo lin.21. grauiore, gratiore,

